MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DEDICATAE

ANTE HOS CCCXXV ANNOS

SCHOLAE REGIAE AFRANAE

D. XVII. IUL. MDCCCLXVIII.

H. L. Q. C.

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

FRIDERICUS FRANKE

DR. PHIL. ILLUSTRIS AFRANEI RECTOR ET PROFESSOR I. ORD. REG. SAX. ALB. EQUES.

Praemissae sunt

Quaestiones Euripideae. Particula I. De morte obeunda quid senserit Euripides, scripsit O. BUSCH.

MISENAE.

EX OFFICINA C. E. KLINKICHTII ET FIL.

MDCCCLXVIII.

[illegible]

Μὴ δή μοι θάνατόν γε παραύδα, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ.
βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ,
ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισι ϝανάσσειν.

Ut in omnibus rebus, quae ad veterum Graecorum vel sentiendi vel vitae degendae rationem spectant, ita etiam in considerandis diiudicandisque tragicorum poetarum de morte sententiis ab Homero exeundum quaerendumque esse quid hic eiusque aequales de morte et de mortuis censuerint, vix erit qui non concedat. Quamquam enim non prorsus adsentimur Herodoto*) dicenti Homerum et Hesiodum Graecis theogoniam finxisse, hoc tamen constat, Homerum quales mores essent hominum illis antiquissimis temporibus aequalium et quid de rebus divinis humanisque sentirent descripsisse descriptasque posteris tradidisse. Sed cum temporibus mutatis etiam mores hominum et sentiendi ratio mutari soleant, saepe fit ut quod veteribus adpetendum visum erat, fugiendum recentioribus videatur, quod fugiendum illis, his adpetendum. Neque vero qui paene contrariam Homericae aetati sentiendi rationem inierunt non habent quod ad Homerum ut auctorem et quasi praecursorem in sua sentiendi ratione recurrant. Ex quo igitur tempore Homerus Ulixem tanto patriae desiderio tantoque malorum fastidio finxerat conreptum, ut mori cuperet, si modo fumum patrium vidisset adscendentem (α 58), multi poetae, in primis qui fabulas scripserunt, in depingendis animi adfectibus perturbationibusque hoc mortis desiderio aptissimo usi sunt adiumento, quo mala acerbiora redderent atque auditorum spectatorumve misericordiam augerent. Quod quidem desiderium, per se verum atque in homine calamitatum ingenti quasi mole oppresso et ad desperationem adducto aequum, nisi vivendi cupiditate compensatur et coercetur, nimia quaedam gignitur animi mollitia, quam nostrates *Sentimentalitaet* adpellant quamque ab antiqua Graecorum sentiendi ratione prorsus alienam fuisse nemo erit qui neget. Inveni-

*) Herodot. II, 53: *οὗτοι δέ εἰσι οἱ ποιήσαντες Ἕλλησι θεογονίην καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες*, de quo loco multa disputaverunt interpretes Herodoti. Luculente scripsit de eadem re Preller Griech. Mythologie. Einleitung 4. pag. 13 sqq.

untur quidem in Homeri carminibus multi loci loco supra adlato simillimi*), ex quibus si quis efficere vellet Homericis hominibus mollitia quadam vel desperatione rerum omnium commotis mortem interdum per se expetendam vel optabilem visam esse, valde erraret. Sunt quidem *δειλοί* mortales vel *καμόντες*, non *μάκαρες* sicut dei et qui feliciore vitae condicione utuntur, Phaeaces; sed Orcus quoniam *ἀμείλιχος* et *ἀδάμαστος* est, adpellatur *θεῶν ἔχθιστος ἁπάντων* (I 158 sq.), et Eurylochus Solis boves mactaturus, quibus famem toleret, dicit: *πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσιν* (*μ* 341). Nam tantum abest ut mors animi perturbationes vitaeque acerbitates tollat vel id, quod pectus humanum altiora adpetens desiderat, suppeditet et expleat, ut haec sors sit mortalium, ut mortui etiam infeliciores fiant. Optime hoc ex Achillis tristitia adparet (*λ* 471 sqq.), cuius umbra vel anima**) *ὀλοφυρομένη* Ulixi Peliden felicissimum praedicanti respondet malle se ruri *θητευέμεν ἄλλῳ ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισι ϝανάσσειν****). Atque idem qui vivus adeo gloriae cupidus erat, ut aeternam gloriam (*κλέος ἄφθιτον*, I 413 sqq.) reditu in patriam et longa vita potiorem duceret, satis sciebat quanti vita esset aestimanda (ibid. 401 sqq.), quamquam gloriae cupiditatem nondum expleverat, sed potius timendum erat, ut omnino gloriae particeps fieret. Neque solum Achilles tristitia adfectus vel humilem vitam imperio mortuorum anteponit; tota *Νέκυια* quae dicitur in eo potissimum versari videtur, ut ostendatur quanto vitae desiderio qui vita carent teneantur. Vix enim sacra fecerat Ulixes, cum caterva mortuorum, quibus *νὺξ ὀλοή* obtenta est (*λ* 19), ad cruentum ruunt libamentum neque ab Ulixe nisi stricto gladio possunt retineri, quin inferias Tiresiae

*) Cfr. *Η* 129 sqq.; *Σ* 33. 98; *κ* 50. 497; *λ* 277 sq.; *μ* 350 sq.; *ο* 353 sq.; *π* 105 sqq.; *σ* 202; *υ* 61 sqq.; *φ* 154; *ω* 436. Non huc pertinent illi loci, quibus homines finguntur mortem propterea expetentes, ut maius aliquod sibi comparent bonum: *Ν* 426; *Ο* 494—499; *Ρ* 415—422; *Σ* 115; *Χ* 108 sqq.; *Ω* 226. Quos locos si comparaveris cum superioribus, facile invenies numquam in Iliade viros fortes nimiae mollitiae se dedisse, sed Achillem maerore occisi amici conreptum mortem sibi optasse, si eum ulcisci non posset, et vix potuisse retineri, quin manus sibi inferret, Peleo, si fortissimi Graecorum propter ignaviam infamia adspersi essent, nihil futurum fuisse reliquum, nisi ut ad inferos animum demitteret, ne ipse vivus ignaviae onere premeretur. Alia ratio inest in aliquot Odysseae locis supra citatis, recentiorum temporum hominibus non prorsus alienis. — Hanc quaestionem qui adcuratius investigare vult, inspiciat de ea quod disseruit Naegelsbach Homerische Theologie edit. alter. cur. Autenrieth 356 sqq., maxime 377—379, et Anmerkungen zur Ilias *Γ* v. 278 sq. de vocibus *δειλοὶ βροτοί* et *καμόντες*.

**) De significatione Homerica *ψυχῆς*, *εἰδώλου*, aliorum verborum, quae huc pertinent, conf. Nitzsch erklärende Anmerkgg. zur Odyssee III p. 188 sqq. et Naegelsbach Hom. Theol. p. 380 sqq., ubi aliorum de his rebus opiniones adlatas et examinatas invenies.

***) Prorsus discrepat quod hoc loco Achillem facit poeta dicentem ab eo quod Cicero dicit in orat. Philipp. 10, 9, 19: *Optanda mors est, quae civibus Romanis semper fuit servitute potior*, aliam aliorum temporum hominibus esse sentiendi rationem probans. Nec mirum est si Lucianus in Dialog. Mortt. 15, 1 Antilochum finxit Achillem inridentem, quod humilis et ignavi Phrygis more, qui vitae aequo amantior esset, non ut Pelei filium deceret, haec de se ipse protulisset. Abhorrebant certe Luciani aequales a simplici de rebus humanis sentiendi veritate, qua Homerici homines inbuti erant. Neque solum Luciani aequales, sed iam Euripides in Orest. v. 1509 ignaviam Phrygum perstrinxit, qui servum Phrygium dicentem faceret: *πανταχοῦ ζῆν ἡδὺ μᾶλλον ἢ θανεῖν τοῖς σώφροσιν.* Quaerenti Orestae v. 1521: *δοῦλος ὢν φοβεῖ τὸν Ἅιδην, ὅς σ' ἀπαλλάξει κακῶν;* idem respondet: *πᾶς ἀνήρ, κἂν δοῦλος ᾖ τις, ἥδεται τὸ φῶς ὁρᾶν.* Quorum versuum Lucianus meminisse videtur.

factas sibi vindicent sacrumque sorbeant cruorem, sic optime probantes quam ingenti mortis horrore atque taedio *νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα* conripiantur vivendique desiderio ad vitam, quam sciunt laborum periculorumque esse plenam, quasi urgeantur.

Est enim laboriosissima vita morti praeferenda. Nam qui princeps heroum omnium potest adpellari, ipse Hercules*) apud inferos *ὀλοφυρόμενος* Ulixem adloquitur, quamquam memor est quam mala sors quantaque laborum moles sibi viventi a peiore viro fuerit inposita (*λ* 616 sqq.). Decet enim virum molestissimos subire labores, immo Tartarum Stygiasque adire umbras priusquam vitam desperans derelinquat sibique ipse fundamentum, ut ita dicam, subripiat, quo nixus bene recteque agendo et salutem hominibus dando propius ad deos accedat gloriamque cum apud aequales tum apud posteros sibi paret. Nam *πόνος εὐκλεής* dicitur**) ab auctore Rhesi v. 197. sive Euripides sive alius aliquis huius fabulae auctor est, inmortalem gloriam post ingentes labores Sophocleus Hercules adeptus est (cfr. Soph. Philoct. v. 1419 sq., *ὅσους πονήσας καὶ διεξελθὼν πόνους ἀθάνατον ἀρετὴν ἔσχον*). et saepe non solum a posterioribus poetis, sed etiam ab Homero mors quam gloria secuta est praedicatur, non tamen ita ut per se sit petenda. Idem auctor Rhesi v. 758 sqq. aurigam regis interitum his verbis facit deplorantem: *θανεῖν γὰρ εὐκλεῶς μέν, εἰ θανεῖν χρεών, λυπρὸν μὲν οἶμαι τῷ θανόντι· πῶς γὰρ οὔ; τοῖς ζῶσι δ' ὄγκος καὶ δόμων εὐδοξία· ἡμεῖς δ' ἀβούλως κἀκλεῶς ὀλώλαμεν* (v. 758 sqq.). Sic apud Homerum mors tolerabilis quidem videtur, si gloriam mortuo ipsi vel eius posteris adferat. Non enim tantopere Telemachus lamentaretur mortuum esse patrem, si inter amicos ante Troiam cecidisset et, postquam belli labores pertulisset et sepulturam ab Achaeis nactus esset, filio magnam gloriam reliquisset: *νῦν δέ μιν ἀκλειῶς ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο· οἴχετ' ἄιστος ἄπυστος κτλ.* (*α* 236 sqq). Similiter Hector, cum optimos Graecorum ad singulare certamen provocat, dicit, etiamsi sibi contigerit, ut adversarium occideret, solamen quodam modo fore illi gloriam apud posteros, qui si eius tumulum conspexerint, laudibus ornaturi sint eum, *ὅν ποτ' ἀριστεύοντα κατέκτανε φαίδιμος Ἕκτωρ* (*H* 87 sqq.). Sed per se mors malum est et, nisi necessitas urget vel ingentia mala vitam vitalem esse non sinunt, vitanda et fugienda. Licet igitur idem Hector, qui usque ad extremum spiritum sua virtute urbem defendit, uxorem ultimum adlocutus cupiat *Z* 464 sqq.: *ἀλλά με τεθνηῶτα χυτὴ κατὰ γαῖα καλύπτοι πρίν γ' ἔτι σῆς τε βοῆς σοῦ θ' ἑλκηθμοῖο πυθέσθαι*, tanto eundem terrore adfecit mortis species, ut qui fortissimus erat omnium, qui umquam pro patria vitam profuderunt, perterritus adspectu trucis adversarii turpi fuga vitam servaturus ter circum moenia urbis ageretur.

*) De interpolatis Onomacriti versibus *λ* 602—604, qui *εἴδωλον* Herculis Ulixi facit comparentem, ipsum inter deos inmortales vita beata fruentem, et de *ἀποθεώσει* Herculis Homero prorsus ignotae conf. Nitzsch Anmkgg. III p. 335 sqq.

**) Scripsit Nauckius pro *πόνος δ' εὐκλεής*, quod habent codices, *πόνος δὲ δυσκλεής*, cuius coniecturam si sequimur, haec verba non ad gloriam quae omnino ex laboribus suscipiendis nascitur referenda sunt, sed ad singulare Dolonis facinus, non tam gloriam quam equos Achillis mercedem adpetentis. Poscit enim Dolon *ἵππους Ἀχιλλέως· χρὴ δ' ἐπ' ἀξίοις πονεῖν, ψυχὴν προβάλλοντ' ἐν κύβοισι δαίμονος*, v. 182 sq.

En habes quod de morte sentiunt praestantissimi viri apud Homerum. Quamquam enim ferox victor Hectori frustra Achillem obsecranti, ne corpus suum canibus dilaniandum obiciat respondet *X* 365 sq.: *Τέθναθι· Κῆρα δ' ἐγὼ τότε δέξομαι, ὁππότε κεν δὴ Ζεὺς ἐθέλῃ τελέσαι ἠδ' ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι*, idem *Σ* 86 sqq. deplorat matrem eiusque cum Peleo nuptias, quod in fatis sit ut filium morte amittat. Nam *μοῖρα*, quam nemo umquam nec pravus nec probus effugit (*Z* 488 sq.), quam ne dii quidem possunt avertere, *ὀλοή* adpellatur, *κακή*, *κραταιή*, *χαλεπή*, *δυσώνυμος* (*Π* 849; *β* 100; *γ* 238; *N* 602; *E* 83. 629; *λ* 292; *M* 116), similiter *κὴρ ὀλοή*, *μέλαινα*, *κακή*, *στυγερή* (*Σ* 535; *B* 859; *Γ* 454; *ρ* 500; *M* 113; *Π* 687; *β* 316; *ψ* 78), *θάνατος κακός* et *μέλας* (*Γ* 173; *Π* 47; *B* 834; *Λ* 332; *Π* 687), *σκότος στυγερός* (*E* 47), et Patrocli anima *ἐκ ῥεθέων πταμένη Ἀϝιδόσδε βεβήκειν, ϝὸν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀρετῆτα καὶ ἥβην* (*Π* 856 sq.), cum quo loco conferri potest *X* 362 sq. de morte Hectoris, et Vergil. Aeneid. 4, 692; 10, 820; 11, 832; 12, 952*). In ipso enim mortis articulo, sive sua sponte quis scelesta manu vitam sibi adimit sive fato abreptus concidit, caritas vitae vel horror mortis pectus vehementer commovere solet. Ita Dido amore Aeneae capta ubi spe coniugii amissa iam mortem sibi conscivit, semianimis errantibus oculis in alto caelo lucem quaerit repertaque ingemiscit, ita occisi Lausi vita maesta per auras ad manes concedit, ita Camillae ab Arrunte, Turni ab Aenea occisi vita cum gemitu fugit indignata sub umbras. Ita etiam Ulixis fidelis uxor quoniam spem redituri coniugis concipere non potest vitam detestata mori quidem cupit, sed in ipso cupiendo horrida mortis et Orci specie perculsa haec dicit *υ* 80: *ἠέ μ' ἐυπλόκαμος βάλοι Ἄρτεμις, ὄφρ' Ὀδυσῆα ὀσσομένη καὶ γαῖαν ὕπο στυγερὴν ἀφικοίμην*. Perhorrescunt enim mortales mortem, et si quem ferventissimo odio persequuntur, odisse eum dicuntur *ϝῖσον Κηρὶ μελαίνῃ* vel *ὁμῶς Ἀϝίδαο πύλῃσιν* (*Γ* 454; I 312). Mira vitae caritate tenetur Lycaon furenti Achilli obviam factus *Φ* 65: *περὶ δ' ἤθελε θυμῷ ἐκφυγέειν θάνατόν τε κακὸν καὶ κῆρα μέλαιναν κτλ.* cfr. 48, et supra iam vidimus vitae pretium tantum ab heroibus haberi, ut ipse Achilles negaret opes Troianae urbis vel templi Apollinis Pythii compensationem vitae esse posse (*ψυχῆς ἀντάξιον*, I 401). Unde fit ut ne Apollinis quidem et Dianae *ἀγανὰ βέλη***), quamvis *μαλακὸν* vel *ἀβληχρὸν θάνατον* adferant (*λ* 135; *σ* 202), grata vel optanda propitii dei dona existimentur (*γ* 280; *ε* 124; *λ* 173. 199; *ο* 410 sq.; *υ* 62 sq.; *Z* 205; *Ω* 759). Neque eos solum taedet vita decedere qui hilari vita fruuntur vel iuventute valida vel aliis deorum donis, ut supra Lycaonem, Achillem alios (miserandus videtur etiam Rhexenor Alcinoi frater *η* 64 sq., miserandi Aloidae annos viridis iuventae non adepti *λ* 317 sqq.; miserandi liberi Niobae, quos ipsi dii misericordia commoti sepeliverunt *Ω* 605 sqq.); sed etiam qui infelicissima vita utuntur, quos sors vel ira deorum gravissime adflixit, vitam tolerant. Toleravit Niobe *Ω* 602. 613: *ἡ δ' ἄρα σίτου μνήσατ', ἐπεὶ κάμε δάκρυ χέουσα*, toleravit is quoque qui de summo felici-

---

*) Uberius de hac re disputat Naegelsbach Hom. Theol. III. Abschnitt: die Götter und die *Μοῖρα*. p. 121 sqq.

**) Recte de hoc subito nec non placido mortis genere quid censerent veteres Graeci disseruisse mihi videtur Nitzsch ad Odyss. *γ* 279 sqq.

tatis et honoris fastigio deiectus vel aegritudine animi amissis liberis vel insania sive furore divinitus inmisso laborabat quidem *et miser in campis maerens errabat Aleis, ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans**), sed numquam eo desperationis progressus est, ut ex solitudine, quam in animi doloribus captabat, se prorepturus mortem sibi consisceret. Hoc ne Euripides quidem finxit. Si igitur, qui asperitate ea fuit et inmanitate naturae ut congressus quidem hominum fugeret atque odisset, idem vitam non fugit, sed usque ad finem toleravit, nonne recte dicemus Homerum de vita ita censuisse, qualescunque essent vitae condiciones, dummodo recte facere vel non turpiter vivere liceret, vitam morti esse praeferendam? Idem censuit auctor Rhesi, cuius auctoritate saepe iam hoc loco utor, quoniam fabula ex ipsis Troianis castris quasi deprompta interdum Homeri, ut ita dicam, animum spirat. Nam mater Rhesi cum audivisset carissimum filium iuventutis flore nitentem instigante Minerva ab Ulixe et Diomede esse obtruncatum, quamquam non ignorat filii animam inferos non esse adituram (*οὐκ εἶσι γαίας εἰς μελάγχιμον πέδον*, v. 962), sed a Proserpina liberatum iri, funestis querellis mortuum filium lamentatur. Licet enim *ἀνθρωποδαίμονος* vitam degat post mortem Rhesus et *Βάκχου προφήτης* fiat, nulla laetitia, nulla iucunditas ne in hac quidem vita, si quidem vita potest dici, inesse videtur. Nam queritur Musa sibi mortuum esse filium neque umquam lucem conspecturum vel matrem conventurum, sed v. 970 *κρυπτὸς ἐν ἄντροις τῆς ὑπαργύρου χθονὸς κείσεται βλέπων φάος σεμνὸς τοῖσιν εἰδόσι θεός*. Obscurum est sane quid sibi voluerit hoc loco Euripides, ut omnino quod ad mysteria Graecorum cum Eleusinia tum Orphica et Thracia pertinet obscurum est; sed potest facile praetermitti haec quaestio. Solatium ex sorte filii eiusque *ἀνθρωποδαιμονίᾳ* mater Rhesi certe non hausit; nam adeo in luctus dat animum ut — solet enim Euripides mulierum osor miserias, quae ex coniugio interdum nascuntur, haud raro nimis urgere — his verbis de scaena discedat v. 980 sqq.: *ὦ παιδοποιοὶ συμφοραί, πόνοι βροτῶν. ὡς ὅστις ὑμᾶς μὴ κακῶς λογίζεται. ἄπαις διοίσει κοὐ τεκὼν θάψει τέκνα***).

Sed redeo unde progressus sum. Optime Ulixes, quanti vita ducenda sit, suis laboribus, sua patientia probat. Nam si cui Ulixes mortem cupiens (vide supra pag. 1) nimiae quam virum habere par esset mollitiae indulsisse videtur, toto Odysseae carmine haec opinio refellitur, quod in eo maxime versatur ut ostendat, quot mala, quantam deorum iram ardens vivendi cupiditas possit superare. Neque male quo sensu Homerus mortis desiderium tribueret Ulixi perspexit Horatius, qui haud inmemor, ut videtur, Minervae verborum in Odyss. ν 291 sqq. Tiresiam apud inferos obiurgantem facit Ulixem, cui iam non satis sit *Ithacam revehi patriosque penates adspicere* (Satir. II, 5, 3). Iam in exordio exponitur

*) Cfr. Cic. Tusc. III. 26. 63; Hom. Z 155—202. De Bellerophonte eiusque misera sorte conferri potest Preller Griech. Myth. II p. 54—63. de fabula Euripidea, cui hoc nomen inscribitur, et de altera, quae et ipsa Bellerophontis sortem persecuta esse videtur, Stheneboea Hartung Eurip. Restit. I p. 78 sqq.; 388 sqq.; Welcker Griech. Tragg. p. 785 sqq.; 777 sqq.

**) Si quis hoc loco provocare velit ad *Ἠλύσιον πεδίον* et Menelai *ἀποθέωσιν*, quae apud Homerum inveniuntur δ 561—569, vel ad Rhadamanthum alios, mox inveniet quo iure hanc provocationem instituat, cum cognoverit quod Nitzsch de his rebus disputat Anmkgg. I p. 283 sq.; III p. 284. 316 sq. 335—350.

summo sui servandi studio Ulixem deditum fuisse *(α 5: ἀρνύμενος ἥν ψυχήν)*, a quo studio numquam descivit, sed propositi tenacissimus postremo id effecit, quod per tot errores, per tot discrimina, per tot pericula, quod terra marique, quod apud inferos, quod ubique locorum strenuo animo, quod precibus minis, dolo vi, insidiis inpetu adpetierat. Licet igitur, ut supra vidimus, praesenti quodam et acri animi adfectu commotus audacius quam verius vitam contemnere patriaeque desiderio tabescens mori optare videatur fumo de patriis focis conspecto, licet ingenti dolore perculsus, quod, cum patria iam in conspectu fuisset, male cupidi socii fatalem solvissent utrem, secum reputarit, utrum de nave prosiliens in mare se deiceret an silentio calamitatem perferret vitamque toleraret, numquam tamen animum ita demisit ut rei fortiter et prudenter gerendae inpar esset; sed vir et vere Graecus id semper spectavit ut fortuna, si ita dicere licet, superior discederet. Ac praeclarissime quidem quod consilium ex illa secum reputatione prodierit, κ 53 ipse Ulixes his tribus verbis narrat: *ἔτλην καὶ ἔμεινα.* Procella reicitur ad Aeoliam insulam, expellitur ab rege ut *ἐλέγχιστος ζωόντων* et *ἀπεχθόμενος ἀθανάτοισιν*, et in vastum mare occidentalis regionis abripitur, ingentia pericula minantur: qui ex tot malis incolumem servaverat animam, qui Ulixis Laertiadae nomine gloriabatur (ι 19 sq.), is quaecunque iratus Neptunus miserit mala subibit neque umquam inertiae vel desperationi rerum indulgens mortem vel tristissima et periculosissima vita optabiliorem ducet. Neque pericula solum tolerat; tolerat domi suae insolentiam procorum, inpudentes servos, ancillas inpudicas: qui *quondam maiora tulit* (υ 18), non desinit sperare mox diem esse venturum, quo die in paternum regnum restitutus fideli uxore recuperata vita vere vitali fruatur. Multa possunt proferri exempla, quibus ardens vitae caritas, quae quanti habenda esset Ulixes pariter atque Achilles sciebat, inlustretur: satis sit haec proferre. In Odysseae ε cernimus Ulixem insula Calypsus relicta, cum iam Scheriam e longinquo vidit, tempestate a Neptuno excitata trabiumque compage dissoluta ab ingenti undarum mole in mare deiectum et ita ab inmani fluctuum inpetu et pondere oppressum, ut vix posset emergere. Tandem emergit salsis undis circumfusus, sed *οὐδ' ὧς σχεδίης ἐπελήθετο, τειρόμενός περ, ἀλλὰ μεθορμηθεὶς ἐνὶ κύμασιν ἐλλάβετ' αὐτῆς, ἐν μέσσῃ δὲ καθῖζε τέλος θανάτου ἀλεείνων.* v. 324 sqq. Longum est hoc loco rem adcuratius persequi; hoc certe constat vix posse inveniri in omni omnium temporum memoria eminentius intrepidae fortitudinis inpavidique pectoris exemplum quam Ulixis Leucotheae misericordiam nacti et, quamvis fremente Neptuno et pelle manibus detracta, praesentem mortem effugientis inque proximam terram nudi enatantis, ubi ingenti labore paene confectum et semianimem cubile foliis stratum placido somno recreat. Lamentatur quidem sortem suam, cum surgentes fluctus naviganti atrocem minitantur tempestatem et nox atra mari incubat, atque ter quaterque felices praedicat eos qui olim Atridis morem gerentes ante Troiam ceciderint, immo optat ut ipse fatum obiisset in defendendo Achillis corpore. Sed cur optat? Quoniam tunc sibi sepulcrum nacto parentatum esset et gloria tributa ab Achaeis, nunc autem sibi constitutum sit ut turpi morte conripiatur. Simulatque autem funestae procellae proruerunt et disiectis ratis trabibus nulla salus fuit nisi in luctando cum concitatis fluctibus, nullum auditur mortis desiderium, nihil optat parentalium particeps fieri, hoc unum spectat ut vitam etiam his periculis

dulcem ex mortis quasi faucibus eripiat sibique servet. Alterum praeclarissimum exemplum, quantum vita valeat Ulixi quamvis iniqua passo, exstat in Odysseae ι. Satis notum est Ulixem a Ciconibus fugatum Maleam promontorium praetervecturum borea a cursu suo deiectum ad Polyphemum venisse. Qui cum caede sex sociorum cruentas sibi dapes instruxisset et nec deos nec homines veritus exitium reliquis quoque minitaretur, Ulixes id secum animo volvit, quomodo suam sociorumque vitam a monstri crudelitate defenderet. Inventa defensionis ratione et temulento Cyclope, cum fessus somno procubuisset, excaecato dolo fugam quaerit Ulixes, v. 420 sqq.: *αὐτὰρ ἐγὼ βούλευον ὅπως ὄχ' ἄριστα γένοιτο, εἴ τιν' ἑταίροισιν θανάτου λύσιν ἠδ' ἐμοὶ αὐτῷ εὑροίμην· πάντας δὲ δόλους καὶ μῆτιν ὕφαινον ὥς τε περὶ ψυχῆς.* Agitur enim de vita, in qua conservanda Ulixes sollerti et strenuo animo ita eminet, ut non solum vitam servet, sed etiam Cyclopem pro comesis sociis ulciscatur. In quo enim umquam tam alacer mentis vigor tamque invictae animi vires erant, ut qui modo instantem mortem effugit a suis retineri non posset, quin denuo periclitaturus cruenti hostis perniciosam iram excitaret? Ne id quidem patitur Ulixes, ut sui amissos socios lacrumis deplorent (v. 468): sunt enim lacrumabundi non apti ad rem inpigre gerendam. Nihil sociis prosunt blanda verba, quibus audaciam ducis cohibere student (v. 494 sqq.): qui vitam deprecantem foeda inrisione (v. 354. 369 sq.) excepit, is dignus esse videtur in quem ita exceptus acerbe invehatur eumque asperis verbis lacessat (v. 475 sqq. 502 sqq. 523 sqq.). Cur haec? Quoniam de vita agitur et de gloria, quae viro vere Graeco una cum vita summum bonum est et maxime expetendum. Utrumque Ulixes consecutus est, et contentus eo quod perfecit cum sociis ad caenam se confert caenatusque somno se dat: scit enim dulcissimam vitam esse servatam. Tertius locus qui mihi semper memorabilis visus est, quoniam vivacissimam pernicitatem hominis alacri ingenio et vitae cupidi apte inlustrat, est in Odysseae μ. Abreptus in occidentale mare Ulixes apud Laestrygonas naves praeter unam omnes et multos sociorum amisit, expertus est veneficae Circae callidas blanditias, adiit inferos, consuluit Tiresiam, cum animis defunctorum conloqui ausus est, vidit Sirenas, Scyllam, Charybdim alia pericula, sed neque funesti Orci horrores neque minaces maris Siculi insidiae neque denique propter inpie mactatos Solis boves morte abrepti socii omnes Ulixem solum reliquum movent, ut vitae satietate miseriarumque taedio oppressus mortem, quae a malis omnibus liberet, sibi optet. Id potius summo studet labore ut fragmento lacerae navis inhaerens ex imminenti morte evadat. Et evasit quidem. In fico pendens, dum Charybdis absorptum malum reddidisset, sagaci consilio exitium effugit et decimo die post vitam, quam tanti fecit, incolumem in Ogygiam insulam servavit. Addo his tribus locis alium, qui invenitur in Odysseae ρ. Patienter tulit Ulixes Melanthii caprarii iniurias, *οὐ γάρ τι πληγέων ἀδαήμων οὐδὲ βολάων. τολμήεις μοι θυμός, ἐπεὶ κακὰ πολλὰ πέπονθα κύμασι καὶ πολέμῳ· μετὰ καὶ τόδε τοῖσι γενέσθω* (ρ 283 sqq.), patienter Antinoi, qui *μάλιστα μελαίνῃ κηρὶ ἐέοικεν* (ibid. 500), convicia et ingestum scabellum: *ὁ δ' ἐστάθη ἠΰτε πέτρη ἔμπεδον . . . ἀλλ' ἀκέων κίνησε κάρη, κακὰ βυσσοδομεύων* (ibid. 463 sqq.), non recusavit rex Ithacensium, qui olim cum proceribus Troianorum pugnaverat dignusque habitus erat cui Aiace postposito arma Achillis traderentur, quin cum Iro mendico iusto certamine luctaretur, toleravit

Melanthus ancillae maledicta et Eurymachi acerbam inrisionem et atrocem inhumanitatem (adsuerat enim multa pati, cfr. σ 319: *πολυτλήμων δὲ μάλ' εἰμί*), numquam prodidit quis esset quidve meditaretur: nam tum quoque de vita agebatur et de gloria. Insomnis nocte lascivos ancillarum sermones audit, sed opprimit iram υ 23: *τῷ δ' ἄρα τ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληυῖα νωλεμέως*, animadvertit flebiles gemitus maerore paene confectae uxoris (ibid. 92), ac ne tum quidem coquentem praecordia iram erumpere sinit cum a Ctesippo crure bubulo petitur. Quid facit ita laesus? Non hasta adrepta vel gladio in protervum hominem, qui tantum facinus commisit, protinus inruit, sed *μείδησε θυμῷ σαρδάνιον μάλα τοῖον*, ibid. 301 sq. Et cur haec omnia? Ne occasionem perdat ulciscendorum procorum et ut vitam servet viro forti dulcissimum bonorum. Quamquam enim non ignorant Homerici homines vitam humanam malorum dolorumque esse plenam (cfr. locum spectatissimum in υ 201 sqq.: *Ζεῦ πάτερ, οὔ τις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος· οὐκ ἐλεαίρεις ἄνδρας, ἐπὴν δὴ γείνεαι αὐτός, μισγέμεναι κακότητι καὶ ἄλγεσι λευγαλέοισιν*), Ulixes, qualem Homerus finxit, nos docet vitam esse plurimi habendam.

Haec de Homero, in cuius de morte sententia inlustranda si cui longus fuisse videar, id mihi probandum erat, antiquissimis Graecis vitam, qualiscunque esset, fuisse morti praestabiliorem, quoniam vir fortis tum demum cum vita uteretur gloriam adipisci et felici beataque vitae condicione frui posset, defunctis nihil restaret nisi tristitia, luctus, desiderium vitae. Quod autem homines Homeri censuerunt, id priscos Graecos omnes censuisse ex memoria veterum hominum adparet: si alia priscorum poetarum carmina servata essent, si praesertim eius generis carmina exstarent, quae et ipsa de reditu virorum fortium agebant — *νόστοι* — vix est dubium quin ardens vitae desiderium, quod in Ulixe erat, etiam in aliis viguisse inveniremus.

Et quod prisci illi homines senserunt, id per multa saecula in omnium Graecorum animis quasi infixum haerebat, unde factum est ut laete semper vitam vitaeque iucunditates quaererent vitamque litteris maxime artibusque excolendis ornarent et re publica bene liberaliterque administranda dulcem et vere vitalem redderent. Et recte quidem. Par est enim hominibus nullum bonum vita esse praestabilius. Contingit quidem interdum hominibus, si miseriore utuntur vitae condicione, ut verbis quidem mortem sibi exoptent, quoniam finem miseriarum in morte esse putant; si vero re vera mors exorabilis exorantibus obviam venerit, quos miseriis liberaret, tum profecto omnes, quam antea advocaverunt, vitae cupiditate commoti effugiant, nisi aut male philosophantur vel nimis molli ignavo tristi animo indulgent, aut maiora patiuntur quam ferre possint vel cogente necessitate mortem obeunt, qua patriam servent, liberos, propinquos, amicum. Quidquid enim declamarunt philosophi, quidquid disputavit is quem divinum, quem sapientissimum, quem sanctissimum, quem Homerum philosophorum adpellare licet, Socrates (eumque secutus Plato*), cum

*) Mirum non est Socratem aliter de morte et de condicione defunctorum post mortem censuisse atque Homerum. Nam Socrates nova et altiora petivit, quoniam Homeri de morte sententia homines tristitia quadam et desperatione liberare non potuit neque inprobis scelerum poena proposita neque bonis bene factorum praemio neque miseris aerumnarum requie neque omnino alicui inmortalitate praeter eam quae non

morte sua studeret aliis persuadere mortem malum non esse, est tamen mors malum, et ut in tota rerum natura lex quaedam inest, quae a physicis nostris *horror vacui* adpellatur, sic in hominum animo similis insita esse videtur lex, quae nos vitam iubet eiusque iucunditates, si integra virtute integrisque divinis humanisque legibus aeternis atque morum

solum priscis Graecis, ut supra vidimus, verum etiam posteriorum aetatum hominibus, cum iam lux divina per nuntios dei diffundi coepta esset, in gloria apud posteros posita erat. Praeclarissimus est locus Arriani in Anabas. V, 26, 4: *πονούντων τοι καὶ κινδυνευόντων τὰ καλὰ ἔργα· καὶ ζῆν τε ξὺν ἀρετῇ ἡδὺ καὶ ἀποθνήσκειν κλέος ἀθάνατον ὑπολειπομένους.* Dixit enim antea egregius, ne dicam divinus Macedonum rex, quem milites *πόνους τε ἐκ πόνων καὶ κινδύνους ἐκ κινδύνων ἐπαναιρούμενον* viderunt. Herculis proavi memor et ipse priscorum hominum animum inpigrum et fortem spirans, decere virum generosam numquam se putare ad finem laborum pervenisse, dum aliquid superesse videret, quo gloriam posset adquirere, neque alium sibi terminum laborum statuere nisi ut prioribus laboribus peractis novos posset adgredi. Sed haec strenui et numquam cessantis viri qui laete labores ex laboribus suscepit spes, quae gloriae tantum inmortalitatem exspectat, animi ignorat, quoniam homines animorum inmortalitatem quaerentes consolari nequit, opus erat ad maiora progredi. Quo iure Socrates eumque secuti philosophi dici possint ad maiora esse progressi hoc loco omittimus exponere, sed nescio an nimium contendant qui Socratem contendunt eo progressum esse, quo postea Paulus apostolus, qui miseriarum laborumque mole oppressus et beatioris atque cum Christo coniunctae vitae desiderio devinctus ad Philippenses I, 21 scripsit: *τὸ ἀποθανεῖν κέρδος*, et v. 23: *τὴν ἐπιθυμίαν ἔχω εἰς τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι.* Hoc sane constat, Socratem qualem Plato finxit cavendum esse putasse, ne iuvenes qui olim futuri essent civitatis custodes ea audirent vel legerent, quae de mortis tristitia atque de rebus inferorum vulgo narrarentur, quoniam eorum fortitudo his narrationibus frangi aut debilitari videretur, neve quae de querellis ac lamentationibus magnorum virorum adeoque deorum passim apud poetas legerentur. Reprehendit igitur et erasos vult e carminibus Homeri locos omnes quibus vitae caritas et horror mortis inlustrentur, in primis tristia illa animae Achillis ad Ulixem verba, quae disputationi nostrae praeposuimus, cfr. Plat. de republ. III 386 C sqq. Sed idem Socrates, cum Orestem fabulam doceret Euripides, primos tris versus revocasse dicitur: *οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος οὐδὲ πάθος οὐδὲ συμφορὰ θεήλατος, ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις*, cfr. Cic. Tusc. IV, 29, 63, sic probans naturam humanam parem esse perferendis malis omnibus, et decere virum bonum non recusare quin ea perferret, si ad eum accederent. Et quamquam in Apolog. Socrat. p. 40 C Plato fingit magistrum suum dicentem lucrum esse emori, si quidem sensus exstinguatur morsque somno similis sit qui nonnumquam etiam sine visis somniorum placatissimam adferat quietem (Cic. Tusc. I, 41, 97), neque multos dies reperiri posse, qui tali nocti anteponantur, in extrema tamen oratione haec dicit p. 42: *ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπιέναι ἐμοὶ μὲν ἀποθανουμένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις· ὁπότεροι δὲ ἡμῶν ἔρχονται ἐπὶ ἄμεινον πρᾶγμα, ἄδηλον παντὶ πλὴν τῷ θεῷ*, et iam antea p. 37 B: *ὃ* (scil. *παθεῖν τοῦτο οὗ Μέλητός μοι τιμᾶται*) *φημι οὐκ εἰδέναι οὔτ' εἰ ἀγαθὸν οὔτ' εἰ κακόν ἐστιν.* Unde adparet moriturum Socratem non plane professum esse mortem malum non esse. Et praestantissimo omnium loco, qui exstat in Phaedone, certe non id docemur, *simpliciter et sine ulla exceptione verum esse mortem homini vita esse praestabiliorem*, quod nuper Heindorfii aliorum interpretationem secutus Th. Kock (cfr. Hermes II, 1 p. 128—135) ex Phaedon. 62 A evincere studebat, sed hoc tantum, si probari possit argumentis — et posse probari Socrati persuasum est — animum etiam post mortem corporis manere superstitem, vigere, cogitare (70 B), sapientis esse morte adpropinquante bono esse animo, quoniam philosophia nihil aliud sit nisi praeparatio atque meditatio mortis; ridiculum autem esse hominem, qui tota vita philosophatus sit adeoque mortem commentatus, in extremo vitae periculo angi atque metu cruciari. Atque habere quidem mortem atque philosophiae studium hoc sibi commune, quod et illa animum ex corporis vinculis exsolvat et hoc mentem nostram a rerum sensibus subiectarum ludibriis ad aeternae veritatis virtutisque constantiam traducat (64 A sqq.). Vere quid de morte censeret Socrates vel potius Plato, Bonitz vidisse videtur qui (Hermes II, 2 p. 311) Kockii interpretationem refutans haec dicit: *dass für alle Menschen schlechthin der Tod eine Wohlthat und ein erstrebenswerthes Ziel*

probitate fieri potest, semper quaerere, semper autem fugere mortem vacuam et inanem et a rebus gerendis humanitateque excolenda alienam, nisi ea opus sit qua altiores humanitatis rationes adiuventur vel aliorum vita et commoda serventur meliorave reddantur. Non certe equidem eam vitam dico vel eas vitae iucunditates, quas *Alcinoi in cute curanda plus aequo operata iuventus* spectabat*), quorum τρυφή, βίος ἀπολαυστικός in proverbium

sei, spricht Plato im Phaedon nirgends aus; allerdings sollten alle Menschen so leben, dass ihnen der Tod als Befreiung von irdischer Beschränkung und Uebergang in geistige Reinheit und Seligkeit das höchste Gut wäre: aber in Wirklichkeit ist für die meisten Menschen der Tod nur der Beginn einer Zeit der Strafe und Busse für das irdische Leben p. 81 C. ff. u. a., *und nur der echte Philosoph, im Platonischen Sinne von Philosophie, macht davon eine Ausnahme.* Mirum autem videtur quam male Platonis sententiam recentiores Graecorum et Romanorum philosophi interpretati sint, quam perverse Cato Stoicus Platonis dialogum, quem suprema nocte antequam mortem sua sibi manu conscivit perlegit, intellexerit, quantumque eius laudator Cicero et se et alios fefellerit, qui cum sciret vetare dominantem illum in nobis deum iniussu hinc nos suo demigrare (cfr. Plat. Phaed. 61 D: τὸ μὴ θεμιτὸν εἶναι ἑαυτὸν βιάζεσθαι et 62 A: εἰ τούτοις τοῖς ἀνθρώποις μὴ ὅσιόν ἐστιν αὐτοὺς ἑαυτοὺς εὖ ποιεῖν, ἀλλ' ἄλλον δεῖ περιμένειν εὐεργέτην), diceret ipsum deum iustam Catoni mortis caussam dedisse, qua data tamquam a magistratu aut ab aliqua potestate legitima, sic a deo evocatus atque emissus exiisset, Tusc. I. 30, 74. Partium studium Ciceroni plus valuisse videtur quam vera atque manifesta Platonis sententia. Rectius posteri de Catone iudicarunt, quibus in proverbium abierat victricem caussam diis placuisse, Catoni a deorum voluntate prorsus abhorrenti delirantique victam. Ceterum si Socrates contendit mortem philosopho esse adpetendam vitaeque praeferendam, ut animus in hoc corpore a deo inmortali tamquam in carcere quodam inclusus a corporis societate avocatus se in se ipsum quasi conligere et ad puram sinceramque veritatem indagandam et contemplandam convertere vitamque altiorem et feliciorem degere posset, iure quodam huius mortis desiderii poenas solvisse videtur. Nam ex omnibus quae accusatores Socratis, si non novarum rerum, certe novae sentiendi rationis auctoris, protulerunt inde ab eo tempore, quo Aristophanes nubes docuit et Meletus, Anytus alii egregium virum seu falsis seu veris criminibus insimularunt, usque ad eos qui nuperrime Catonem secuti (cfr. Plutarch. Cat. c. 23) comprobare studuerunt optimo iure Socratem ab Atheniensibus capitis damnatum esse — in primis Forchhammer, *die Athener und Socrates, die Gesetzlichen und der Revolutionär* —, ex his omnibus adparet non solum invidiam vel odium aequalium effecisse, ut morte adficeretur, sed priscam populi religionem et reipublicae formam, qualis antiquitus in Graecorum mentibus infixa haerebat, mortem Socratis, ut ita dicam, postulasse. Adcurate atque caute et veterum et recentiorum de hac re discrepantes sententias examinavit Zeller, *die Philosophie der Griechen in ihrer geschichtlichen Entwickelung* II p. 130—165 edit. alt., qui quid ipse sentiat p. 161 his verbis complectitur: *Sofern wir von der altgriechischen Ansicht über Recht und Staat ausgehen, kann die Verurtheilung des Socrates nicht für ungerecht erklärt werden.* Sed idem negat Athenienses, quali tunc civitatis condicione uterentur, iure Socratem capitis damnasse; cfr. p. 163: *die Verurtheilung des Socrates ist ein schreiender politischer Anachronismus, eine von jenen verfehlten Maasregeln, durch welche die Staatskunst der Restauration jeder Zeit ihre Unfähigkeit und Kurzsichtigkeit an den Tag gelegt hat. Socrates hat allerdings den ursprünglichen Boden des griechischen Bewusstseins verlassen, und es über die Schranken hinausgehoben, innerhalb deren diese bestimmte Gestalt nationalen Lebens allein möglich war: aber er hat dies nicht früher gethan, als die Zeit dazu da war, und die fernere Unhaltbarkeit des Alten sich klar herausgestellt hatte. Die Umwälzung, welche sich im Geiste des griechischen Volkes vollzog, war nicht die Schuld dieses Einzelnen, sondern das Schicksal, oder wenn man lieber will, die Gesammtschuld seiner Zeit etc. etc.*

*) Cfr. Odyss. θ 246 sqq.: αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρίς τε χοροί τε [εἵματα τ' ἐξημοιβὰ λοετρά τε θερμὰ καὶ εὐναί], et Horat. Epp. I, 2, 28. Non tamen neglegendum est quod Nitzsch defensor Phaeacum male ἁβροδιαίτης accusatorum adfert ad locum Odysseae, Anmkgg. II 200 sqq.; III, XXI sq. et Preller Griech. Mythol. I, 387 sqq.

abierat (cfr. Athen. 1, 28), quas Sybaritae alii petebant, qui in molliter et delicate vivendo summum bonum positum esse ducebant, sed potius eas, quae nos ex ipsis vitae miseriis aerumnisque erigant, voluntatem nostram et studium recte agendi hominibusque salutem dandi confirment, nos conroborent et aptos reddant qui id efficiamus, quod nobis ut efficiatur propositum est. Quam quidem sententiam antiquioribus Graecis, quales ante bellum Peloponnesiacum fuerunt, quasi innatam fuisse plurimis poetarum locis probatur. Omitto alios, sed non possum non commemorare hoc loco Sophocleam Antigonam. Vix enim emerserant Thebani ex magnis calamitatibus ingentique periculo, quod Polynices et ceteri duces, in primis ferox Capaneus et cruentus Tydeus infelici urbi intendebant, cum senes Thebani v. 100 sqq. iubar solis, omnium quae Thebis prius adfulserunt pulcherrimam lucem, aurei diei oculum laetis praedicant verbis et suos iubent confectorum modo bellorum oblivisci et duce Baccho templa deorum adire pervigilibus choris*). Et ipsa Antigona quamquam mori maluit quam virtutem aeternasque deorum leges neglegere, quamquam mortua quodam modo iam erat, ut inferis tantum servire posset (v. 559 sq.), quanto luctu deplorat sortem suam, quippe quae omnium mulierum immeritissima et propter pietatem quam occiso fratri praestiterat splendidissimis digna honoribus (*χρυσῆς ἀξία τιμῆς λαχεῖν*, v. 699) ultimam ingrediatur viam ultimumque intueatur iubar solis numquam sibi posthac videndum. Miseranda certe est puella, quam ante diem fatalem tori iugalis et hymenaei festorum carminum expertem, nulla coniugii sortitam praemia nec dulci gavisam prole ab amicis desertam crudelis regis consilium e laeta vita vivam deducit ad Acherontis oram et cogit huic ipsi Acheronti nubere (v. 806 sqq. 891 sqq.). Nam Phoebeam lucem intueri vitaque frui dulcissimum esse mortalibus a diis inmortalibus datum donum infelicissima Labdacidarum testatur cum dicit v. 880: *οὐκέτι μοι τόδε λαμπάδος ἱερὸν ὄμμα θέμις ὁρᾶν ταλαίνᾳ.* Est enim lux solis quasi oculus — *ὄμμα* — dei, qui ex longinqua numinis divini felicitate benignitate quadam et suavitate, quam effari nemo humanus potest, nobis adfulget et in pectore nostro speciem divinam procreat nosque permulcet et adlicit ad hanc speciem, dum vivimus, colendam et augendam, ut post mortem et ipsi, ut ita dicam, divinitatem adipiscamur. Qui vitae expers fuerit vel ante diem vita privatus, is divinitate vel prorsus vel magnam partem carebit. Unde adparet recte vitam a veteribus Graecis tanti aestimatam et in summorum bonorum numero habitam esse.

Sed nolo has subtiles quaestiones, quae in verbis Antigonae voluntario quidem exitu neque tamen non invitae morientis abditae latere videntur longius persequi: redeo ad rem propositam. Quod iam dixi et exemplo Antigonae comprobatum volui, antiquioribus Graecis Homeri de morte sententiam quasi innatam fuisse plurimis poetarum locis probari, vix erit qui singulos maxime lyricorum poetarum locos qui repugnare videntur proferat. Nam qui acri animi adfectu vel perturbatione conripitur, qui caeco amoris furore uritur vel

*) Nemini non in mentem veniet militum Salaminiorum, qui in Sophocl. Aiac. v. 693 sqq., quod carissimum dominum insania liberatum et placatis diis mentis quieti redditum putant, gaudio exsultantes et ipsi album iucundi diei iubar celebrant. Simili animi adfectu Aeschylum usum esse Fragm. 373 N. nos docet Lobeck ad Aiacis versum modo citatum.

saevis odii flammis consumitur, is facile tanto vitae fastidio adficitur ut, nisi ardens animi desiderium satiare dirosque pectoris cruciatus mitigare potest, ad vitam profundendam paratus sit Sapphus exemplum secutus de Leucade petra in mare se praecipitare ausae. Si vero Theognis v. 425 sqq. dicit: *ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον, μηδ' ἐσιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου· φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀίδαο περῆσαι, καὶ κεῖσθαι πολλὴν γῆν ἐπαμησάμενον* digna est haec tristis de vita humana sententia, quae ab Euripide aliis de condicione hominum in hac vita desperantibus auctoribus proferatur*). Ipsum Diogenem negasse grave esse vivere testis est Stobaeus, qui in comparatione vitae et mortis (edid. Meineke IV p. 117) haec commemorat: *Διογένης εἰπόντος τινὸς „χαλεπόν ἐστι τὸ ζῆν" „οὐκ" εἶπεν „ἀλλὰ τὸ ζῆν κακῶς"*, qua cum sententia multa similia et poetarum et philosophorum enuntiata possunt conferri, quae idem Stobaeus sub titulis 119. 120. 121 complexus est. Et Euripidem ipsum, quem postea videbimus primum aberrasse ab antiqua Graecorum de vita humana sentiendi ratione, multi tamen loci non prorsus expertem fuisse

*) Ab Aeschylo quoque et Sophocle passim sententias prolatas esse, quibus significaretur mortem esse solum insanabilium malorum medicum, et omnino non esse melius esse quam male vivere, satis nota res est et maxime verbis senum Atticorum in Oedip. Colon. v. 1225 confirmatur, quibus docemur, non nasci homini longe optimum esse, proximum autem quam primum mori, cfr. Cic. Tusc. I, 48, 114. Sed cavendum est ne sententias miserorum hominum, qui morte maius aliquod bonum vel malorum finem quaerunt, cum iis confundamus, quas Heraclitum secutus et Anaxagoram et Prodicum Euripides non tam tristi quodam propter caducas res humanas animi adfectu oppressus et aerumnis dolore luctu occupatus, sed consilio et constantia, neque singulas tantum, sed iterum atque iterum auditorum mentibus inprimere et quasi inculcare studuit, ut auditores his ipsis inpressionibus de vitae laetitia et de spe, quae vitam fovet et credere nos docet cras semper fore melius, deiecti pari tristitia et desperatione rerum occuparentur atque poeta, qui in Iphig. Taur. v. 570 sqq. Orestem haec dicentem, ne dicam delirantem facit: *οὐδ' οἱ σοφοί γε δαίμονες κεκλημένοι πτηνῶν ὀνείρων εἰσὶν ἀψευδέστεροι· πολὺς ταραγμὸς ἔν τε τοῖς θείοις ἔνι κἀν τοῖς βροτείοις*, et in Heraclid. v. 591 sqq. Macariam pro salute fratrum vitam profusuram gloriam quoque praeclare facti et decorum sepulcrum respuentem, quoniam optat nullum esse sub terra sensum, *εἰ γὰρ ἕξομεν κἀκεῖ μερίμνας οἱ θανούμενοι βροτῶν, οὐκ οἶδ' ὅποι τις τρέψεται· τὸ γὰρ θανεῖν κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεται.* Quae de rebus novissimis senserunt cum omnino veteres tum Euripides, exposuerunt praeter alios Naegelsbach Nachhomerische Theologie p. 371—427 et 437—466: Reisacker der Todesgedanke bei den Griechen. Eine historische Entwicklung mit besondrer Rücksicht auf Epikur und den römischen Dichter Lucrez. Trier 1862; Ios. Ianske de Euripidis philosophia, pars altera, progr. gymn. cathol. Breslau 1866; Winiewski de Euripidis res ad extremam hominis sortem spectantes tractandi ratione, indices lectt acad. Muenster 1860. 18$^{64}/_{65}$. Veterum philosophorum, Pythagoreorum, Heracliti, Empedoclis, Anaxagorae, sophistarum de vita humana et de morte placita exponit Zeller Philosophie der Griechen, Vol. I p 326 sqq.; 479 sqq.; 547 sqq.; 695 sqq.; 725 sqq.; 781 sq.; Socratis sententiae iam supra mentionem fecimus (pag. 8 sqq.); quod Plato de rebus novissimis censuit docet Zeller ibid. Vol. II p. 526 sqq.; poetarum Theognidis, Simonidis, Bacchylidis, Mimnermi aliorum tristem et acerbam de vita sentiendi rationem Reisacker enarrat l. c. p. III—VIII et Zeller Vol. I p. 81 sq.; II p. 15 sqq. Eiusdem viri docti de Euripide iudicium invenis Vol. II p. 10 sqq., ubi haec sunt: *Nur um vier bis fünf Olympiaden jünger* (scil. quam Sophocles) *ist Euripides, aber welche Veränderung in der ethischen Stimmung und Lebensansicht tritt uns aus seinen Werken entgegen! Euripides setzt als Künstler nur zu gerne an die Stelle der dichterischen Unmittelbarkeit die Berechnung, an die Stelle der einheitlichen Anschauung die trennende Reflexion. Ebenso sehen wir auch jene Harmonie des sittlichen und religiösen Lebens, welche uns aus den Sophocleischen Stücken so wohlthuend ansprach, bei ihm sich auflösen. Von der sittlichen und künstlerischen Höhe seiner zwei grossen Vorgänger ist er unläugbar herabgestiegen* etc. etc.

huius antiqui Graecae gentis ingenii ostendunt. Sic in Supplicum v. 197 Theseus refutat opinionem eorum qui putent malorum plura esse in hominum vita quam bonorum, et postquam maxima a diis nobis tributa beneficia enumeravit — si vis magis philosophi quam poetae more — Adrasti et omnino hominum insolentiam inprobans sic pergit v. 214: *ἆρ᾽ οὐ τρυφῶμεν θεοῦ κατασκευὴν βίῳ δόντος τοιαύτην, οἷσιν οὐκ ἀρκεῖ τάδε; ἀλλ᾽ ἡ φρόνησις τοῦ θεοῦ μεῖζον σθένειν ζητεῖ, τὸ γαῦρον δ᾽ ἐν φρεσὶν κεκτημένοι δοκοῦμεν εἶναι δαιμόνων σοφώτεροι.* quae quidem verba optima Graecorum aetate digna tantam deorum verecundiam spirant, tantam modestiam et humanae condicionis intellegentiam, ut credere vix possimus, et ipsi Euripidi cum fabulam docuit et Atheniensibus cum audierunt in mentem non venisse, quantum discrimen interesset inter Thesei antiquorumque hominum pietatem morumque simplicitatem et eorum hominum petulantiam atque procacitatem, qui a sophistis malisque poetis edocti et ab aurae popularis captatoribus corrupti suam sapientiam numinis divini antiquis legibus plus valere putarunt. Alium locum, quanta dulcedo in vita humana sit posita et quantum dolorem innocenti et culpa vacuo homini adferat de vita decedere, invenis in Iphigenia Aulidensi. Idem enim poeta qui v. 1034 sq. Clytaemnestram, antiqui Mycenarum regis uxorem, cum Achille ita conloquentem fingit ut fortasse sophistarum aetate*) alter cum altero conloqui solebat: *ἄρχε· σοί με δουλεύειν χρεών· εἰ δ᾽ εἰσὶ θεοί, δίκαιος ὢν ἀνὴρ ἐσθλῶν κυρήσεις· εἰ δὲ μή, τί δεῖ πονεῖν;* mox nobis ostendit quanta vitae caritas insit in regis filia, quam iure iuvenili quadam laetitia superfluere et nuptiarum delicias sibi promissas exspectare decet. Ubi enim comperit patrem mortem sibi moliri, misera puella lacrumis conficitur multas querellas effundens v. 1100, neque scit quodnam malorum suorum sumat exordium v. 1124; tum vero cum facultas orandi ei data est, supplicem se patri abicit et mollissimis blandissimisque precibus eum exorare et Orphea facundia quasi fatigare conatur inde a versu 1211. Nam quae aetatis breve ver primosque flores nondum carpsit, ea nimirum Proserpinam inamoenaque regna tenentem umbrarum dominum (cfr. Ovid. Metam. X, 15) perhorrescit: suave est enim hanc lucem adspicere, acerbum ante diem (*ἄωρον*) cogi videre quae sub terra sunt. Vix potest dulcius aliquid cogitari quam tenerae blanditiae quibus Iphigenia patris animum capere et mutare conatur, et admiramur artem Euripidis tragica atque divina cum mollissimis animi humani adfectibus coniungentis, immo gaudemus puellae Homerica, ut ita dicam, vitae caritate et vigore, quibus inbuta omnia orationis argumenta his verbis complectitur** v. 1250 sqq.: *τὸ φῶς τόδ᾽ ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν, τὰ νέρθε δ᾽ οὐδέν· μαίνεται δ᾽ ὃς εὔχεται θανεῖν· κακῶς ζῆν κρεῖσσον ἢ καλῶς θανεῖν.* Vituperent seu iure seu iniuria extremam sententiam

*) Protagoram Abderiten, sophistam illis temporibus vel maximum, qui sese negabat omnino de diis habere quod liqueret, essent, non essent, qualesve essent, cum in principio libri quem de diis scripsisse dicitur sic posuisset: *περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὔθ᾽ ὡς εἰσὶν οὔθ᾽ ὡς οὐκ εἰσί· πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥ τε ἀδηλότης καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου*, Atheniensium iussu urbe atque agro esse exterminatum librosque eius in concione combustos, testis est Cic. de nat. deor. I, 23, 63; cfr. Plat. Men. 91 E; Diog. Laert. IX, 51 sq.: 54 sqq. et Zeller Vol. I p. 733. 781.

**) Discedens a Godofr. Hermanno, qui Canteri lectionem *κυρήσω* in textum recepit, librorum auctoritatem et Nauckii aliorum editiones secutus lego *νικήσω*.

in Achille (Odyss. λ 488) Platones, Luciani, in virgine ad vitae delicias fruendas nata nemo vituperabit. Nec quisquam haec verba ita interpretabitur ut significent vitam inpietate et sceleribus inquinatam a regis filia praestabiliorem haberi praeclara morte: vetat hoc castae virginis mentis simplicitas morumque probitas; sed hoc mihi videtur Iphigenia dicere voluisse, quod antea atque postea multi et senserunt et dixerunt, infimam vitae condicionem in summa rerum tenuitate praeferendam esse morti praeter inanem apud posteros gloriam nihil adferenti, quod hominibus iucundum esset atque pretiosum. Mox videbimus non solum priscos poetarum homines ita censuisse, sed etiam tristissima Graecorum aetate, cuius aequalis Euripides erat, multos et eos optimos patriaeque amantissimos atque probissimos cives hac sententia commotos summas calamitates, amissos liberos coniuges, amissam patriam, amissam libertatem tolerasse, spem melius fore non amisisse et ita effecisse, ut ex vitae rerumque omnium naufragio Ulixis instar hanc unam tabulam nacti aliquid servarent quod ad novam fortunam condendam valeret.

Quamquam igitur concedendum est iam ante Euripidem et poetas et philosophos interdum sententias protulisse ab Homeri simplicitate et vitae laetitia satis abhorrentes, nonnullos etiam varia et tortuosa vitae curricula ingressos eo pervenisse, ut nimiae indulgerent tristitiae et ei se darent vitae despicientiae ut nihil in vita nec facerent nec haberent dulce, laetum, iucundum, multo tamen maior fuit numerus eorum qui vita delectabantur et eo fundamento nixi ex vitae laboribus sese erigebant et id semper spectabant, ut res praeclaras atque diis hominibusque gratas perficerent. Non ignoramus Herodotum quoque, qua erat ingenii gravitate et pia severitate, haud raro ita censuisse de vita humana et de hominum felicitate, ut leviter iudicanti et ipse tristi Theognidis aliorum sentiendi ratione inbutus esse videatur;*) sed qui res a Graecis adversus barbaros praecla-

*) Omittimus huc referre quod Herodotus narrat 5. 4, Trausis, genti Thraciae, morem fuisse, ut, quicunque in lucem editus esset, eum propinqui circumsederent et lugerent ὅσα μιν (scil. τὸν γινόμενον) δεῖ ἐπείτε ἐγένετο ἀναπλῆσαι κακά, ἀπηγεόμενοι (vulgo ἀνηγεόμενοι) τὰ ἀνθρωπήια πάντα πάθεα, defunctum autem qui graves labores morte finisset, exsultantes et gaudentes terra conderent ἐπιλέγοντες ὅσων κακῶν ἐξαπαλλαχθεὶς ἐστι ἐν πάσῃ εὐδαιμονίῃ; nescimus enim quid Herodotus ipse de hoc usu senserit, quem Euripides, ut postea videbimus, probasse videtur cum Cresphontem fabulam doceret, cfr. Cic. Tusc. I, 48, 115 et Hartung Eurip. Restit. II. 47 sqq. Sed non possumus praeterire alium Herodoti locum, qui est in libri septimi cap. 46, ubi Artabanus, qui primum ne Xerxes Graecis bellum inferret dissuadere conabatur, cum rege vitae humanae brevitatem lamentante conlocutus haec dicit: ἐν οὕτω βραχέι βίῳ οὐδεὶς οὕτω ἄνθρωπος ἐὼν εὐδαίμων πέφυκε, οὔτε τούτων οὔτε τῶν ἄλλων, τῷ οὐ παραστήσεται πολλάκις καὶ οὐκὶ ἅπαξ τεθνάναι βούλεσθαι μᾶλλον ἢ ζώειν· αἵ τε γὰρ συμφοραὶ προσπίπτουσαι καὶ αἱ νοῦσοι συνταράσσουσαι καὶ βραχὺν ἐόντα μακρὸν δοκέειν εἶναι ποιεῦσι τὸν βίον. οὕτω ὁ μὲν θάνατος μοχθηρῆς ἐούσης τῆς ζόης καταφυγὴ αἱρετωτάτη τῷ ἀνθρώπῳ γέγονε· ὁ δὲ θεὸς γλυκὺν γεύσας τὸν αἰῶνα φθονερὸς ἐν αὐτῷ εὑρίσκεται ἐών, quibus verbis non tam sententiam Persis propriam significare Artabanum, sed quodam modo partes agere chori scenici tragicorum Graecorum res praesentes commentantis et ad recte agendum cohortantis bene monet Stein in edit. Weidmann., qui praeter sententiam Chilonis: τὸν τετελευτηκότα μακάριζε et Bacchylidis versus (fragm. 2): θνατοῖσι μὴ φῦναι φέριστον μηδ' ἀελίου προσιδεῖν φέγγος· ὄλβιος δ' οὐδεὶς βροτῶν πάντα χρόνον, alias adfert antiquorum similes sententias, quibus instabilem vitae humanae condicionem et numinis divini invidiam, quam veteres secundas res humanas persequi putabant inlustrat. In primis autem huc referendus est is locus qui invenitur 1, 31, qui maxime dolorem quendam et

rissime gestas praeclarissime perscripsit laudibusque celebravit, qui a frequenti concione Olympiaca, cum Graecorum victorias et sacrosanctum illum hilaremque animorum inpetum, quo has victorias reportarant, publice recitasset, magis etiam salutabatur quam Olympiae victores (Lucian. Herod. 2), qui animum Thucydidis ita commovisse et inflammasse dicitur ut ad res gestas perscribendas se conferret, is profecto, quamquam multa mala perpessus coactusque erat patria decedere, ingenio vere Graeco adeo inbutus erat adeoque toto animo genuina laetitia et elatione, quam boni atque fortes homines ex vita et rebus praeclare gestis capiunt, quasi perfusus, ut fieri non possit quin eius de rebus divinis et humanis opiniones ad pietatem erga deos, non ad tristem vitae contemptum referantur. Inde a gravissima demum omnium rerum conversione, quae ingruente bello Peloponnesiaco Graeciae civitates et Graecorum animos invasit, factum est ut aliter de morte vulgo sentire coepissent Graeci atque antea senserant, cum odium, crudelitas, inmanis saevitia dulciores suavioresque animi adfectus, quibus vita iucunda redditur, nondum evertissent. Neque mirum. Nam si Thucydidis historiam perlegerimus facile intellegemus unde ita factum sit. Alienum est a proposito longius hoc loco eas calamitates vel ea facinora commemorare quae Thucydides enarrat, ex quo tempore Lacedaemonii eorumque socii Archidami regis moderationem et pacem servandam suadentis admonitionibus neglectis Sthenelaidae consilium secuti subfragia tulerunt sponsiones triginta annorum solutas gerendumque esse bellum (cfr. 1, 87. 125), et primi coeperant mercatores adversariorum, quos ceperant onerariis navibus circum Peloponnesum navigantes, interficere et in scrobes abicere, cfr. 2, 67: *πάντας γὰρ δὴ καὶ ἀρχὰς τοῦ πολέμου οἱ Λακεδαιμόνιοι ὅσους λάβοιεν ἐν τῇ θαλάσσῃ ὡς πολεμίους διέφθειρον, καὶ τοὺς μετὰ Ἀθηναίων καὶ τοὺς μηδὲ μεθ' ἑτέρων*, quorum exemplum et Athenienses et alii postea sunt imitati. Tunc evenit quod Melesippus praeco Pericle auctore de agro Attico decedere coactus dixerat 2, 12: *ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει*: nam eo pervenerunt homines, maxime Athenienses pestilentia vexati, ut ingenti

---

maestitiam propter rerum humanarum inconstantiam, inbecillitatem, fragilitatem redolet, quo loco eo progressus est Herodotus, ut Solonem faciat filios Argivae sacerdotis felices praedicantem, quod dea matris precibus commota illis praemii dederit pro pietate quod maximum dari posset a deo: *ταῦτα* (scil. postquam ad iugum ipsi accesserunt et matrem in fanum advexerunt) *δέ σφι ποιήσασι καὶ ὀφθεῖσι ὑπὸ τῆς πανηγύριος τελευτὴ τοῦ βίου ἀρίστη ἐπεγένετο, διέδεξέ τε ἐν τούτοισι ὁ θεός, ὡς ἄμεινον εἴη ἀνθρώπῳ τεθνάναι μᾶλλον ἢ ζώειν.* Fere idem de Trophonio et Agamede Plutarchus narrat in Consolat. ad Apollon. p. 109 et Cic. Tusc. 47, 114, qui addit indicavisse eum deum cui reliqui dii concessissent ut praeter ceteros divinaret. Idem Plutarchus in eodem libello, quem ad Apollonium scripsit, multa conlegit similia antiquorum hominum et dicta et facta, sed cum haec consolantis patrem de morte filii sint, quo consilio ea protulerit Plutarchus ex ipsa re adparet. Si igitur Plutarchus p. 119 laudat Menandri versum: *ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος*, quid sibi velit nemo ignorabit: sequitur enim Pythagoreorum egregiam praeceptum p. 116: *ὅσσα δὲ δαιμονίαισι τύχαις βροτοὶ ἄλγε' ἔχουσιν, ὧν ἂν μοῖραν ἔχῃς, ταύτην φέρε μηδ' ἀγανάκτει.* Operae pretium est cum his ea conferre quae Herodotus de invidia adfert, qua numen divinum et perturbari dicit propter hominum secundas fortunas, quibus insolentia plerumque nascatur, et ipsum perturbare homines, qui rebus secundis nimis elati superbiae se dent 1, 32 (*τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερόν τε καὶ ταραχῶδες*, contra Platon. Phaedr. p. 247 A: *ὁ φθόνος ἔξω τοῦ θείου χοροῦ ἵσταται*), 3, 40; 7, 10 ε, et de instabili fortunae humanae condicione 1, 32 fin.; 86. — Cfr. etiam Aesch. Agam. 929 (Dindorf), Sophoclis extrema Oedipi Regis verba; Trach. 1. et quod Livius narrat de Furio Camillo 5, 21 et Plutarch. Cam. c. 5.

malorum inpetu quasi fracti et de spe melius fore deiecti ad contemptum rerum divinarum humanarumque se converterent et antiquis legibus violatis libidinibus indulgerent, nihil interesse rati inter probitatem et inprobitatem, sed hoc potius spectandum esse ut praesentibus bonis quam maxime et quam celerrime fruerentur, *ἐφήμερα τά τε σώματα καὶ τὰ χρήματα ὁμοίως ἡγούμενοι* (2, 53). Quae quidem vitae despicientia atroci inmanitate maxime Lacedaemoniorum adeo aucta est, ut mos increbresceret ab humaniore Graecorum ingenio alienissimus captos hostes non in servitutem abducere sed, quod barbarorum erat et ferocium gentium, vita privare. Constat primos Lacedaemonios Thebanorum inplacabili odio obtemperantes *ἐς τὰ κοινὰ τῶν Λακεδαιμονίων νόμιμα καὶ ἐς τοὺς προγόνους* (3, 59) pecasse et Plataeensium urbem cum civibus omnibus quos ceperant *ἑκόντας καὶ χεῖρας προϊσχομένους — ὁ δὲ νόμος τοῖς Ἕλλησι μὴ κτείνειν τούτους* (ibid. 58) — *ἐκ παντὸς τοῦ Ἑλληνικοῦ πανοικησίᾳ* (ibid. 57) sustulisse, cum initio Athenienses prioris de Mytilenaeis qui defecerant interficiendis consilii poeniteret, ita ut, quamquam Cleon clementiam et misericordiam iis exprobrarat, constituerent crudeli sententia abrogata (*ὠμὸν τὸ βούλευμα καὶ μέγα πόλιν ὅλην διαφθεῖραι μᾶλλον ἢ οὐ τοὺς αἰτίους*, ibid. 36) Diodoti aequius et utilius consilium sequi et auctores tantum defectionis summo adficere supplicio. Postea autem etiam Athenienses eo crudelitatis sunt progressi ut Lacedaemoniorum exemplum imitati Scionaeos et Melios omnes morte multarent (5, 32. 116). Tantus enim exarserat illis temporibus animorum furor tantaque rabies et inpotentia, ut non solum patres in filios saevirent et publica salute simulata cives in civibus privatas inimicitias exsequerentur inque adversarios ex ipsis deorum templis abreptos omne supplicii genus adhiberent, sed ipsae mulieres a belli negotiis se non abstinerent et praeter naturam pugnantium clamores et tumultus sustinerent (ibid. 3, 74). Non mirum igitur si haud raro inveniebantur qui, cum is esset rerum publicarum status vel is pugnae exitus, ut aut omnino vitam se degere posse aut certe aequis condicionibus vivere superati sperare non possent, ipsi sibi mortem consciscerent, ut Timocrates Lacedaemonius in pugna prope Naupactum re male gesta 2, 92 et optimates Corcyraei 3, 81; 4, 48 (etiam postea Crinippus Siculus cum ab Iphicrate captus esset Xen. Hell. 6, 2, 36, Andromachus Eleus pugna ab Arcadibus superatus ibid. 7, 4, 19. Alia exempla adfert Naegelsbach Nachhom. Theol. p. 393 sq.). Et haec omnia initio belli evenerant; postea tota Graecia etiam magis commovebatur et morum simplicitas, probitas, pietas, quibuscum animi magnitudo maxime coniuncta esse solet, inrisae et prorsus sublatae sunt (3, 83): nam ut ipse Thucydides 3, 82 dicit: *ὁ πόλεμος ὑφελὼν τὴν εὐπορίαν τοῦ καθ' ἡμέραν βίαιος διδάσκαλος καὶ πρὸς τὰ παρόντα τὰς ὀργὰς τῶν πολλῶν ὁμοιοῖ*, ita ut post cladem Siciliensem et pugnam apud Aegos flumen commissam in tantum timorem et infractionem quandam animi et demissionem caderent Athenienses (cfr. 7, 75: *κατήφειά τέ τις ἅμα καὶ κατάμεμψις σφῶν αὐτῶν πολλὴ ἦν*, et 8, 1), ut non solum occisos, sed multo magis se ipsos qui vitae superstites essent lamentarentur, cum iniuriam, quam ipsi Meliis Scionaeis multis aliis neglecta humanitate intulissent, in se esse redundaturam putarent (Xen. Hell. 2, 2, 3).

Sed ne in hac quidem temporum iniquitate meliores desperarunt vel vitam profundendam esse existimarunt. Multi sublata libertate et amissis omnibus quae hominibus

carissima esse solent vitam tolerabant miserrimam; viderunt Nicias et Demosthenes potentissimum et praeclarissimum Atheniensium exercitum, cui ipsi praeerant, vel occisum vel captum atque opes patriae urbis deletas gloriamque uno fortunae quasi fulmine concussam et fere exstinctam, sed non ii erant qui scelerata manu ipsi sibi vim inferrent; et qui praeter omnes consuerant, ex quo tempore *Tyrtaeus mares animos in Martia bella versibus exacuerat**), neque fame cogente neque ulla alia necessitate arma tradere, sed retinere et usque ad mortem pugnare (Thucyd. 4, 40), dulce et decorum esse rati pro patria mori, ipsi Lacedaemonii cum in insula Sphacteria ab Atheniensibus essent ita interclusi, ut nulla iis restaret propulsandorum hostium vel omnino salutis spes, a prisca illa et austera Lacedaemoniorum consuetudine deflexerunt et armis traditis servitutis periculo**) se commiserunt, ut vitam servarent, quam si temere vel neglegenter profudissent, neque patriae neque alii cuiquam profuisset. Si igitur, quibus antiquitus praeceptum erat pro patria atque pro gloria patriae gentis mori, vivere maluerunt — fieri enim poterat ut postea vita sua patriae utilitati servirent — quid de iis censendum erit quibus hoc nominatim praeceptum non erat, qui nihilo secius vivendi facultate neglecta si non laeti et libentes, tamen non inviti morti se tradiderunt aliisque recte hoc fieri persuadere conabantur? quid de Socrate, qui, licet eius liberam contumaciam a magnitudine animi ductam, non a superbia, laudent scriptores, paene in manu iam mortiferum illud tenens poculum ita locutus est ut non ad mortem trudi, verum in caelum videretur escendere (Cic. Tusc. 1, 29, 71)? Nonne quem

*) Cfr. Horat. art. poet. v. 402; Tyrt. 7. 1 sqq. (Bergk p. 308): *τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐνὶ προμάχοισι πεσόντα ἄνδρ' ἀγαθόν, περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον . . . θυμῷ γῆς περὶ τῆσδε μαχώμεθα, καὶ περὶ παίδων θνήσκωμεν ψυχέων μηκέτι φειδόμενοι . . . νέοισι δὲ πάντ' ἐπέοικεν, ὄφρ' ἐρατῆς ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ· ἀνδράσι μὲν θηητὸς ἰδεῖν, ἐρατὸς δὲ γυναιξὶν ζωὸς ἐών, καλὸς δ' ἐν προμάχοισι πεσών;* Eurip. Troad. v. 386 sq. *Τρῶες δὲ πρῶτον μέν, τὸ κάλλιστον κλέος, ὑπὲρ πάτρας ἔθνησκον*, et 400 sqq. *φεύγειν μὲν οὖν χρὴ πόλεμον ὅστις εὖ φρονεῖ· εἰ δ' εἰς τόδ' ἔλθοι, στέφανος οὐκ αἰσχρὸς πόλει καλῶς ὀλέσθαι, μὴ καλῶς δὲ δυσκλεές;* auctor Rhesi v. 932 sqq. *καί σ' ἀμφὶ γῆν μὲν πατρίαν φιλαρμάτους ἀλκὰς κορύσσοντ' οὐκ ἐδείμαινον θανεῖν, Τροίας δ' ἀπηύδων ἄστυ μὴ κέλσαι ποτέ, εἰδυῖα τὸν σὸν πότμον.* Cic. Phil. 14. 12: o fortunata mors, quae naturae debita pro patria est potissimum reddita. Ac fere totus in demonstrando quid patriae deberemus versatus est Lycurgus in Leocratea, qui non solum Hectoris praeclarissima verba in Iliad. O 491 sqq. et Codri regis mortem atque Lacedaemonios apud Thermopylas occisos multosque alios commemorat, quibus videmus claras mortes et gloriosas, pro patriae oppetitas, optabiles fuisse, sed multis orationis locis summa eloquentiae vi id efficere studet, nullum esse detestabilius scelus quam istorum, qui recusent quominus omnia pericula, ipsam mortem pro patria oppetant. cfr. 48—51: *οὐκ ἂν αἰσχυνθείην εἰπὼν στέφανον τῆς πατρίδος εἶναι τὰς ἐκείνων ψυχάς.* 82. 88. 101, inprimis 129: *νόμον ἔθεντο* (scil. Lacedaemonii) *περὶ ἁπάντων τῶν μὴ 'θελόντων ὑπὲρ τῆς πατρίδος κινδυνεύειν διαρρήδην λέγοντα ἀποθνήσκειν, εἰς αὐτὸ τοῦτο τὴν τιμωρίαν τάξαντες εἰς ὃ μάλιστα φοβούμενοι τυγχάνουσι καὶ τὴν ἐκ τοῦ πολέμου σωτηρίαν ὑπεύθυνον κινδύνῳ ἐποίησαν μετ' αἰσχύνης.* Multa adfert exempla eorum, qui patriae suum sanguinem largiti sunt. Cicero in Tusc. I. 48, 116: nobilissimus de amore patriae locus est in Off. I. 17, 57.

**) Fecerunt hoc Lacedaemonii, quamquam in eorum quoque mentibus profecto infixum haerebat, quod Homerus ρ 322 sq. Eumaeo tribuit: *ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν*, quocum conferri potest quod Plato Legg. 776 E etiam gravius de servis dicit: *ὑγιὲς οὐδὲν ψυχῆς δούλης οὐδὲ πιστεύειν οὐδέποτ' οὐδὲν τῷ γένει δεῖ τὸν νοῦν κεκτημένον*, et Lycurg. Leocrat. 81.

virum oraculum Delphicum Graecorum sapientissimum pronuntiasse dicitur, eum, si quidem ita de vita humana sensit ut sensisse eum plerique ferunt, ab antiquorum Graecorum sentiendi ratione prorsus abhorruisse et hanc ipsam ob caussam morte multatum esse dicemus (vid. supra pag. 10)? Quod si Socrati concedimus, cum censuerit duas esse vias duplicesque cursus animorum e corpore excedentium, et inprobis, qui se totos humanis vitiis contaminavissent libidinibusque dedissent, devium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum, et probis, qui se integros castosque servassent et in corporibus humanis, quibuscum minima iis fuisset contagio, vitam imitati essent deorum, ad illos, a quibus essent profecti, reditum facile patere, unde factum est ut bonos omnes et doctos vellet cygnos imitari, qui cum cantu et voluptate morerentur, quid dicendum erit de iis, qui quid post hanc vitam futurum esset nesciebant?*) qui, quamquam iis persuasum erat in morte reddi terrae terram et ut corpus in terram, ita animam in aethera abire et dissolvi, tamen morte abripi praestabilius esse arbitrabantur quam vivere et vivendo officia praestare propinquis, patriae, generi humano?**)

Vituperandi igitur videntur qui ita censebant, praesertim cum nihil habuerint solatii quod animis hominum pro amissa vita praeberent. Sed, ut iam dixi, erant hae singulorum sententiae: qui vere Graeco nomine gloriabantur, ab Homeri prisca sentiendi ratione numquam defecerunt, neque umquam etiam post belli Peloponnesiaci tempora vel post Chaeroneensem pugnam, quamquam a Socrate summo philosopho periculosissimum propositum erat exemplum, Graecorum animi ad tantam rabiem sunt evecti, ut regi illi Assyriorum similes saeva mollitia libidineque exagitati cum uxoribus et opibus ipsi sese in rogum inmitterent (Ovid. Ibid. 309). Ac profecto cogit nos Carthago, cogit Numantia, cogit Hierosolyma, ut cives miremur cruento ferro et dira flamma mortem quaerentes; Graecos autem ab hac mortis contemptione ac despicientia, quae vitam pro nihilo ducit, longe alienos fuisse et vivendi cupidissimos, testes sunt Plataeenses, Mitylenaei alii, quos

*) Et nesciisse etiam post Socratem et Platonem plerosque et meliores et doctiores Graecorum, testes sunt praeter alios Isocrates, qui 9, 2 de Evagora, 14, 61 de maioribus Plataeensium, 19, 42 de Thrasyllo dubitat utrum sit aliquis sensus in morte necne, Demosth. adv. Lept. 87 (p. 483) et maxime Hyperid. apud Stob. Flor. IV p. 134 Mein. (124, 36) qui haec dicit: *εἰ μὲν ἔστι τὸ ἀποθανεῖν ὅμοιον τῷ μὴ γενέσθαι, ἀπηλλαγμένοι εἰσὶ* (scil. *οἱ τετελευτηκότες*) *νόσων καὶ λύπης καὶ τῶν ἄλλων τῶν προσπιπτόντων εἰς τὸν ἀνθρώπινον βίον· εἰ δ' ἔστιν αἴσθησις ἐν ᾅδου καὶ ἐπιμέλεια παρὰ τοῦ δαιμονίου, εἰκὸς κτλ.* De tragicorum similibus sententiis postea videbimus, Latinorum satis est Ciceronem commemorare, qui in oratione Philipp 9, 6 vulgarem opinionem secutus de Servio Sulpicio verba faciens et ipse dubitat, num quis sit in morte sensus, et de amicit. 4, 13 dicit: sin autem illa veriora (quam quae de inmortalitate animorum tradunt philosophi), ut idem interitus sit animorum et corporum etc.

**) Cfr. Eurip. fragm. Hypsip. 752, 4, apud Stob. IV p. 35 Mein. (108, 11) et Cic. Tusc. III, 25, 59; fragm. Moschion. 11 et Eurip. Supplic. v. 533 sqq.; Troad. 634; Plat. Axioch. 369 B, ubi Socrates haec dicit: *περὶ μὲν τοὺς ζῶντας* (scil. *ὁ θάνατος*) *οὐκ ἔστιν, οἱ δὲ ἀποθανόντες οὐκ εἰσίν.* Cic. Tusc. I, 49, 117: si (supremus ille dies) perimit ac delet omnino, quid melius quam in mediis vitae laboribus obdormiscere et ita coniventem somno consopiri sempiterno? Naegelsbach l. c. p. 460 sqq. — Contra haec pulchre quidem, sed oratorie Lysias exeunte oratione quam in Eratosthenem habuit dicit, defunctos sensum habere et curam rerum humanarum.

supra commemoravi, testes Demosthenes, Lycurgus, Hyperides, qui pugnam Chaeroneensem, Macedonum dominationem, principatum Alexandri viderunt et vixerunt, testes postea Corinthii a Mummio, Athenienses a Sulla subacti, qui omnes atrocissima mala perpeti quam saeva manu ipsi sibi vitam eripere maluerunt. Ac Carthaginiensium quidem virtus, si virtutem iure hanc rabiem adpellamus, excelsior fortasse alicui videbitur, Plataeensium contra humanior et generosior: illorum sortem tacito horrore commoti dubiis laudibus praedicaverunt rerum scriptores, miseram fortunam horum, quos usque ad diem supremum vivendi cupiditas non deseruit (Thucyd. 3, 59), nos cum Thucydide lamentamur*).

*) De Lyciorum diro furore familias et opes flammis, se ipsos ferro Harpagi tradentium cfr. Herodot. I, 176. — Ceterum ingens est apud veteres scriptores numerus locorum, quibus de morte variae proferuntur sententiae, ex quo tanto numero paucos et eos quidem graviores referam. Ex quo enim tempore Europa hostilem animum in Asiam conceperat et Troia capta et deleta caussa erat inimicitiarum inter Graecos et barbaros (Herod. I, 4, 5), tantum exarserat odium, tanta invidia inter utrosque, ut plerique Asiatici Graeci (de Milesiis pacem non iniquam bello adversus Persas praeferentibus ibid. I, 141. 169) primum Croesi, deinde Cyri et Persarum dominationem aegre ferrent, nonnulli, in primis Phocaei et Tei servitutis inpatientissimi omnino non ferrent, sed adeo libertatis essent amantissimi, ut non Lyciorum quidem insanam virtutem imitarentur, sed patria urbe relicta cum suis omnibus et cum simulacris deorum in alienis terris novas sedes quaererent (ibid. 164. 168). Hostiles illos spiritus bellis Persicis auctos mox sumpserunt ceteri Graeci, maxime Lacedaemonii et Athenienses, unde factum est, ut saepissime in primis ab oratoribus mors amissae libertati, gloriae, felicitati praeponenda diceretur. Praeclarissimus omnium locus est in Demosthenis oratione de coron. 205: *οὐκ ἐζήτουν οἱ τότ' Ἀθηναῖοι* (scil. qui Themistoclis tempore vivebant) *οὔτε ῥήτορα οὔτε στρατηγὸν δι' ὅτου δουλεύσουσιν εὐτυχῶς, ἀλλ' οὐδὲ ζῆν ἠξίουν, εἰ μὴ μετ' ἐλευθερίας ἐξέσται τοῦτο ποιεῖν. ἡγεῖτο γὰρ αὐτῶν ἕκαστος οὐχὶ τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ μόνον γεγενῆσθαι, ἀλλὰ καὶ τῇ πατρίδι. διαφέρει δὲ τί; ὅτι ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι μόνον γεγενῆσθαι νομίζων τὸν τῆς εἱμαρμένης καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει, ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν ἀποθνήσκειν, καὶ φοβερωτέρας ἡγήσεται τὰς ὕβρεις καὶ τὰς ἀτιμίας, ἃς ἐν δουλευούσῃ τῇ πόλει φέρειν ἀνάγκη, τοῦ θανάτου.* Cfr. 208. — Similiter auctor epitaphii, qui sub Lysiae nomine fertur 33 sqq. Athenienses laudibus extollit, quod potiorem esse rati *μετ' ἀρετῆς καὶ πενίας καὶ φυγῆς ἐλευθερίαν ἢ μετ' ὀνείδους καὶ πλούτου δουλείαν τῆς πατρίδος* patriam relinquere et omnia periclitari maluerint quam Persarum dominationem tolerare et totam Graeciam servituti tradere. Laudat maiores Atheniensium Lysias 34, 11, quod pro libertate Graecorum summa pericula subierint, et Isocrat. 4, 75 eos Graecos qui pro Graecia vitam in discrimen commiserint (*τοὺς τοῖς σώμασιν ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος προκινδυνεύσαντας*). Idem auctor epitaphii Lysiani (Pseudolys. 2, 62 sqq.) Thrasybuli populariumque Atheniensium virtutem praedicat, qui antiquam maiorum virtutem imitati suis vitis communem urbem etiam ceteris recuperarint et mortem cum libertate coniunctam vitae servorum more degendae praetulerint quique maluerint *ἐν τῇ ἑαυτῶν ἀποθνῄσκειν ἢ ζῆν τὴν ἀλλοτρίαν οἰκοῦντες.* Pariter Thebani et alii Thrasybuli conatum adiuvantes laudandi videntur, quod in sua virtute patriam positam esse arbitrati pro Atheniensium salute pugnarint (ibid. 66), et praeter ceteros Athenienses, qui in bello Corinthio, quod dicitur, annis 394. et 393. ceciderant, quoniam ausi sint, ut potestatem auctoritatemque augerent Graeciae, non solum pro sua ipsorum salute pericula subire, sed etiam pro libertate hostium mortem obire (ibid. 68). Pugnabant enim una cum sociis Lacedaemoniorum, ut dominatione eos Lacedaemoniorum liberarent. Maiores Atheniensium, quibus persuasum esset *τὸν εὐκλεᾶ θάνατον ἀθάνατον περὶ τῶν ἀγαθῶν καταλείπειν λόγον*, multitudinem hostium non metuebant, sed sua virtute freti (ibid. 23) *τῶν μὲν σωμάτων ἀφειδήσαντες, ὑπὲρ δὲ τῆς ἀρετῆς οὐ φιλοψυχήσαντες* magis suas leges verebantur, quam pericula, quae ab hostibus inpendebant (ibid. 25): putabant enim *ἀποθανεῖν μὲν αὐτοῖς μετὰ πάντων προσήκειν, ἀγαθοῖς δ' εἶναι μετ' ὀλίγων, καὶ τὰς μὲν ψυχὰς ἀλλοτρίας διὰ τὸν θάνατον κεκτῆσθαι, τὴν δ' ἐκ τῶν κινδύνων μνήμην ἰδίαν καταλείψειν* (ibid. 24). Dicuntur Athenienses existimasse (Isocr. 4, 95)

Atque hanc quidem sententiam, quaerendum esse ut vivamus vitaque fruamur, mortem esse fugiendam, quae quidem sententia sola civitates et potentes reddere potest et liberas et felices, ipse ille, quem saepe adpello, nos docet Ulixes, quem nusquam tam vinctum cernis amoris desiderio, ut quotiescunque in nova mala incidit, non utique stu-

---

parvas quidem urbes decere omni ratione salutem quaerere, quae autem principatu Graeciae dignas esse sese arbitrarentur, eas dedecere pericula subterfugere, sed quemadmodum viro bono atque forti praestabilius esset *καλῶς ἀποθανεῖν ἢ ζῆν αἰσχρῶς*, ita etiam potentioribus urbium ex usu esse *ἐξ ἀνθρώπων ἀφανισθῆναι μᾶλλον ἢ δούλαις ὀφθῆναι γενομέναις*. Nam nullos certe labores, nulla pericula, ut vivi laudibus celebrarentur, eos non subituros fuisse, qui *ὑπὲρ τῆς δόξης ἧς ἤμελλον τελευτήσαντες ἕξειν οὕτως ἑτοίμως ἤθελον ἀποθνήσκειν*, ut deus aliquis videatur auctor belli Persici fuisse Graecorum virtute gavisus, ne, qui tam generoso essent animo, ignoti essent et gloria carentes vita excederent, seu ut iisdem, quibus qui nati essent ex diis inmortalibus et semidei adpellarentur, honoribus eademque sorte digni haberentur; *καὶ γὰρ ἐκείνων τὰ μὲν σώματα ταῖς τῆς φύσεως ἀνάγκαις ἀπέδοσαν, τῆς δ' ἀρετῆς ἀθάνατον τὴν μνήμην ἐποίησαν* (ibid. 83 sq.) Cum Atheniensibus non liceret bene vivere (*καλῶς ζῆν*), maluerunt bene mori (*καλῶς τελευτᾶν*), ne filios posterosque dedecore, totam maiorum gentem infamia adficerent, *ἡγούμενοι τῷ τοὺς αὑτοῦ αἰσχύναντι ἀβίωτον εἶναι καὶ τῷ τοιούτῳ οὔτε τινὰ ἀνθρώπων οὔτε θεῶν φίλον εἶναι οὔτ' ἐπὶ γῆς οὔθ' ὑπὸ γῆς τελευτήσαντι* (Plat. Menex. 146 D). Patres igitur et matres decet filios pro patriae salute occisos quam minimo dolore ferre; nam non hoc precati sunt, ut inmortales sibi nascerentur filii, sed boni et gloria praecellentes (ibid. 147 D). Quamobrem recte fecisse Xenophontem Plutarchus dicit in Consol. ad Apoll. 33 p. 119 A, quippe qui, cum ei sacrificanti nuntium e bello adlatum esset Gryllum filium in pugna cecidisse, sertum capiti detraxisset et quomodo periisset ex nuntiis perquisivisset, cumque responderetur generose eum fortiterque prae ceteris praeliantem multis hostium interfectis obcubuisse, exiguo admodum temporis spatio intermisso, dum ratione animi motum compesceret, rursus inposita capiti corona sacrificium absolvisset nuntiis hoc responso dato: *θεοῖς ηὐξάμην οὐκ ἀθάνατον οὐδὲ πολυχρόνιον γενέσθαι μοι τὸν υἱόν· τὸ γὰρ τοιοῦτον ἄδηλον ὅτι συμφέρει· ἀγαθὸν δὲ καὶ φιλόπατριν· ὃ δὴ καὶ γέγονεν.* Summis quoque laudibus extollit atque felices praedicat auctor epitaphii, qui sub Demosthenis nomine fertur, eos qui pro patriae libertate vitam profuderunt, *οὓς παρέδρους εἰκότως ἄν τις φήσαι τοῖς κάτω θεοῖς εἶναι, τὴν αὐτὴν τάξιν ἔχοντας τοῖς προτέροις ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐν μακάρων νήσοις . . . καὶ θυσιῶν καὶ ἀγώνων ἠξιωμένους ἀθανάτων.* Qui enim pro salute patriae non inviti praeclaram mortem oppetiverunt, ii honores et egregias laudes adipiscuntur (*τὸ τίμιον καὶ τὸ καλόν*): maxima enim orbis terrarum pars cum cognatis et civibus, cum tota Graecia eos lamentatur (Pseudodemosth. 60, 33 sqq.). Neque in hac sola oratione posteriore fortasse tempore conscripta inmortalitatis spes animos hominum consolatur et erigit: iam Isocrates 4, 28 sq. *τῆς τελετῆς* mentionem facit, *ἧς οἱ μετασχόντες περί τῆς τοῦ βίου τελευτῆς καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν*, cum quibus verbis et notissima illa Ciceronis de legg. II, 14, 36 conferas, qui nihil melius dicit mysteriis illis, ex quibus non solum cum laetitia vivendi rationem accepperimus, sed etiam cum spe meliore moriendi, et quae interpretes ad hunc Isocratis locum attulerunt (cfr. etiam Naegelsb. Nachhom. Theol. p. 398 sqq.: C. Fr. Herrmann gottesdienstl. Alterth. § 32. 55; Preller Griech. Myth. I 397. 490 sq.; Schoemann Griech. Alterth. II, 336 et supra pag. 5). Idem tamen orator, quamquam plus nonaginta annos natus, 12, 260 eandem de rebus post mortem secutus sentiendi rationem quam maxima pars aequalium duplicem, ut ita dicam, inmortalitatem commemorat: *ζηλῶ σε καὶ μακαρίζω τῆς εὐδαιμονίας· δοκεῖς γάρ μοι ζῶν μὲν λήψεσθαι δόξαν οὐ μείζω μὲν, ἧς ἄξιος εἶ, παρὰ πλείοσι δὲ καὶ μᾶλλον ὁμολογουμένην τῆς νῦν ὑπαρχούσης, τελευτήσας δὲ τὸν βίον μεθέξειν ἀθανασίας, οὐ τῆς τοῖς θεοῖς παρούσης, ἀλλὰ τῆς τοῖς ἐπιγιγνομένοις περὶ τῶν διενεγκόντων ἐπί τινι τῶν καλῶν ἔργων μνήμην ἐμποιούσης.* — Ibid. 214 Isocrates Lacedaemoniorum mores vituperans iure quemque bene moratorum et recte sentientium hominum ter mori malle dicit quam *διὰ τῶν τοιούτων ἐπιτηδευμάτων* (scil. qualia sunt Lacedaemoniorum) *γνωσθῆναι τὴν ἄσκησιν τῆς ἀρετῆς ποιούμενον*, et 255 eosdem non tam reprehendit quam admiratur, quod tantos sumpserint spiritus.

duxerit et vitam servare et aliquid praeter hanc, quod vitam iucundam dulcemque redderet. Qui igitur quidquid mali ad eum accesserit, hoc quoque fortem animum tolerare iubebit, ita se consolatus maiora quondam se tulisse, is ex Graecorum mente vir et vere Graecus dicendus erit. Itaque illud *τέτλαθι δή, κραδίη* (Odyss. υ 18) ex antiquissimo Graecorum

ut quamquam non plures essent numero quam duo milia, putarent non dignos se esse qui viverent, nisi possent omnes Peloponnesi urbes in suam redigere potestatem. Laudandi quidem sunt viri boni et strenui, qui pro patriae salute pericula subeunt, quamquam *μεγάλαι δυνάμεις, πονηραὶ δέ* saepe iis superiores fiunt; nemo tamen pari iure laudet *τοὺς περὶ τῶν ἀλλοτρίων ἀποθνῄσκειν ἐθέλοντας, καὶ τοὺς ξένους ὁμοίους ὄντας* (ibid. 186). — Sunt autem praeter libertatem salutemque patriae multa bona, quae tanti habenda sunt, ut homines deceat pro iis vel conservandis vel adipiscendis vitam profundere. Laudat Isocrat. 9, 3 eos qui tanta sint honoris cupiditate tantaque animi magnitudine, ut non solum pro rebus bene a se gestis laudibus celebrari velint, sed pro vita placidam (alii gloriosam; legunt enim non *εὐκόλως*, sed *εὐκλεῶς*) mortem eligant et magis gloriae quam vitae operam dent omnique ratione contendant, ut immortalem sui memoriam relinquant. Idem 1, 43 Demonicum monet ut vituperationem magis quam pericula fugiat: necesse enim esse, pravis hominibus de vita decedere terribile esse, probis autem et strenuis dum vivant infamia affici. Itaque id maxime spectandum esse, ut quantum fieri possit securam vitam degamus (id quod vere Graecum et omnino humanum esse iam saepe contendi), sin autem acciderit aliquando ut in discrimen veniremus, tum id agendum esse, ut ex certamine servemur *μετὰ καλῆς δόξης, ἀλλὰ μὴ μετ' αἰσχρᾶς φήμης· τὸ μὲν γὰρ τελευτῆσαι πάντων ἡ πεπρωμένη κατέκρινε, τὸ δὲ καλῶς ἀποθανεῖν ἴδιον τοῖς σπουδαίοις ἀπένειμεν.* Praeter ceteros autem reges decet ita se gerere, ut gloriam adipiscantur: turpe igitur esse, si recusant, quominus faciant quod saepe privati homines fecerunt, qui libentes mortem oppetiverunt, ut mortui laudibus celebrarentur. Primam quidem legem atque summam regibus constitutam esse, ut suam ipsorum et civitatis salutem securitatemque (*σῴζειν αὐτήν*) servarent: sin autem cogente necessitate pericula subeunda sint, praeferendum esse *τεθνάναι καλῶς μᾶλλον ἢ ζῆν αἰσχρῶς*. In omnibus rebus reges meminerint regia se esse auctoritate, et caveant ne quid faciant quod indignum sit hoc honore quodque totos eos perderet et dissolveret (*πᾶσαν τὴν φύσιν αὐτῶν διαλύσειαν*). Cum enim corpus acceperint mortale, animam immortalem, in eo maxime eos versari oportere, ut immortalem animi memoriam apud posteros sibi parent (Isocr. 2, 36. 37). — Satis sciebant iam veteres Graeci non tam referre quam diu viveremus, sed quam bene (Senec. epist. 101, 15), quam ob rem multi tanta praestabant animi probitate, ut non dubitarent vitam profundere, ne in se vel alios scelus committerent. Laudibus extollit Lysias in Agorat. 60 Aristophanem Cholidensem, qui tanta fuit morum integritate tantaque erga urbem et eos qui a triginta viris in vincula erant coniecti pietate, ut mori mallet quam crimina iis inferre et iniuste eos ad mortem trudendo sibi salutem parare. Sed licet interdum possit fieri, ut minimum sit hominibus praesentium malorum *τὸ θάνατον τὸν αὐτῶν προσδέχεσθαι*, quoniam multo maiora impendent et graviora mala a patria, a parentibus, a liberis, a se ipsis propulsanda (Pseudolys. 2, 36), est tamen mors malum, a quo *τύχη* et *δαίμων* homines nonnumquam defendunt (Lys. 13, 63). Unde factum est, ut ex antiquissimo tempore, qui leges in civitatibus tulerunt, ita constituerent, ut quos propter summa scelera summis suppliciis adficiendos esse arbitrabantur mortis poena punirentur. Ita Lycurgus adv. Leocrat. 8 dicit: *τὸ μὲν γὰρ μέγιστον καὶ ἔσχατον τῶν τιμωρημάτων, θάνατος, ἀναγκαῖον μὲν ἐκ τῶν νόμων ἐπιτίμιον* (scil. proditoribus), *ἔλαττον δὲ τῶν Λεωκράτους ἀδικημάτων καθέστηκεν.* Cfr. 65 et 134: *εἴ τις μείζων ἦν τιμωρία θανάτου, ταύτην ἂν ἐπάξιος Λεωκράτης*; Lys. 28, 1; 13, 91, et quos ad hunc locum praeterea Frohberger in edit. Teubn. similes attulit locos, quibus addi potest, quod Diodotus, cuius eloquentia Mitylenaei mortis supplicium effugerunt, apud Thucydidem dicit 3, 45, 2. 3. — Censebant prisci Athenienses duces, qui cum Adrasto et Polynice Thebas profecti pugna ceciderant, si quam iniuriam commisissent, morte sua summas poenas persolvisse (*ἀποθανόντας δίκην ἔχειν τὴν μεγίστην*, Pseudolys. 2, 7). Solet enim numen divinum, non statim quidem — haec est hominum puniendi ratio — sed tempore sceleratos homines et qui ex iis nati sunt propter peccata maiorum poenis, terroribus, periculis adficere, quibus oppressi multi iam

tempore quasi regula fuit, ad quam cum scriptorum omnium tum poetarum sententiae dirigendae erant, neque ausi sunt antiquiores poetae — singulos lyricorum acri animi adfectu et acerbis doloris morsibus perturbatorum locos iam supra (p. 11 sq.) excipiendos esse censui — hanc regulam neglegere. Nam neque Aeschylum neque Sophoclem umquam

cupiebant mortem obire, ut malorum mole liberarentur: *ὁ δὲ θεὸς τέλος τούτων λυμηνάμενος τῷ βίῳ θάνατον ἐπέθηκεν* (ibid. 6. 20). Est igitur mors et summa poena, quibus deus pravos et nefarios (ante diem) ex hominum societate exturbat vel excludit, et ultimum refugium, quo confugiunt ii, qui laboribus, periculis, doloribus exagitantur non tolerandis. Sed tamen haec omnia fert Andocides, quamquam auctor orationis in Andocidem miratur ferre eum haec posse, cum ei persuasum sit nullas esse delicias (*χάριν*) in ea vita, in qua tam multa adversissima acciderint, requies omnino non possit inveniri (*κακοπαθεῖν μὲν πολλάκις, ἀναπαύσασθαι δὲ μηδέποτε*. ibid. 28). Nam qui fere semper in custodia est, cuius res familiaris caussis dicendis in diem minuitur, qui *τὸν ἑαυτοῦ βίον τοῖς ἐχθροῖς καὶ τοῖς συκοφάνταις διανέμει*, is vitam degit non vitalem (*τοῦτ' ἔστι τὸ τὸν βίον βιοῦν ἀβίωτον*. 31), quamobrem *ἥμισυς ὁ βίος βιῶναι κρείττων ἀλύπῳ ἐστὶν ἢ διπλάσιος λυπουμένῳ ὥσπερ οὗτος*, scil. Andocides, 32. Miseris, quales Corinthii erant a Lacedaemoniis vexati, *ὁ βίος οἰκτρὸς* est *καὶ ὁ θάνατος εὐκτός*. Pseudolys. 2, 69; nihilo tamen secius idem orator 73 negat aliquid esse posse magis lamentandum quam sortem eorum quos, cum filios amiserint et senes facti inbecillitate laborent omnique spe carentes atque amicis privati nesciant quid sibi faciendum sit, iidem commiserentur qui antea iis inviderint, quibus nihil sit reliquum nisi ut mortem vita optabiliorem ducant. Quamquam enim stultum est et turpe mortem timere (cfr. Naegelsb. Nachh. Theol. p. 324 sqq.), est tamen malum mortem optare (idem sensisse posterioris temporis auctores, probatur Auson. sept. sapient. sent. 4, 3: *mortem optare malum, timere peius*), et iure deplorantur a suis, qui morte conrepti ad inferos abierunt, ibid. 71: *ὥστε ἄξιον τοῖς ζῶσι τούτους* (scil. *τοὺς ἀγαθούς, οἳ ἐτελεύτησαν τὸν βίον τῇ μὲν γὰρ πατρίδι τὰ τροφεῖα ἀποδόντες, τοῖς δὲ θρέψασι λύπας καταλιπόντες*) *ποθεῖν*, et 73: *ὅσῳ γὰρ ἄνδρες ἀμείνους ἦσαν, τοσούτῳ τοῖς καταλειπομένοις τὸ πένθος μεῖζον*. Simili ratione fere omnes, qui laudationibus defunctorum memoriam honorarunt, a Pericle Thucydideo ad eum, qui Demosthenis nomen usurpavit, cum consolatione lamentationem et lacrumas coniunxerunt. Gravior est quidem, ut Pericles ait (Thucyd. 2, 43, 3 sqq.), viro *φρόνημα ἔχοντι ἡ (ἐν τῷ) μετὰ τοῦ μαλακισθῆναι κάκωσις ἢ ὁ μετὰ ῥώμης καὶ κοινῆς ἐλπίδος ἅμα γιγνόμενος ἀναίσθητος θάνατος*, et felices praedicantur, quibus *ἐνευδαιμονῆσαί τε ὁ βίος ὁμοίως καὶ ἐντελευτῆσαι ξυνεμετρήθη*, sed non ignorat praeclarus orator difficile esse consolari eos, qui in aliorum felicitate nimirum saepe meminerint suae ipsorum felicitatis, qua olim ipsi, filiis gavisi, usi sint: *καὶ λύπη οὐχ ὧν ἄν τις μὴ πειρασάμενος ἀγαθῶν στερίσκηται, ἀλλ' οὗ ἂν ἐθὰς γενόμενος ἀφαιρεθῇ*. — In hoc tam communi miserationis sensu, quo commoti morte maxime honesta et praematura defunctos lamentari ac deplorare solemus, saepe miratus sum quod Ciceroni Tusc. I, 49, 117 (et 15, 34; Cat. M. 20. 73) Ennii ferox oratio: *nemo me lacrumis decoret nec funera fletu faxit. cur? volito vivus per ora virum* melior est visa quam humanior sapientis Solonis: *mors mea ne careat lacrumis, linquamus amicis maerorem, ut celebrent funera cum gemitu* (cfr. Plut. Compar. Sol. c. Popl. c. 1). Hominum sane est nolle suam mortem dolore amicorum et lamentis carere: nos omnes caros esse volumus nostris. Quamquam credimus inmortalitatem consecuturam esse mortem, lugendam tamen eam censemus, cum nos a carissima societate, ab exercendis animi corporisque facultatibus, a spe rerum humanarum, quae hominibus gratae esse debent atque carae, seiungat. Philosophi igitur sint et senescentis quidem, quae Cicero in laudem mortis profert exeunte libro primo disputationum Tusculanarum; mihi longe anteponenda videntur praeclara illa Lycurgi, quibus vitae et suavitatem et utilitatem optime inlustrat. Dicit enim adversus Leocrat. 60: *ὥσπερ ἀνθρώπῳ ζῶντι μὲν ἐλπὶς ἐκ τοῦ κακῶς πρᾶξαι μεταπεσεῖν, τελευτήσαντι δὲ συναναιρεῖται πάντα δι' ὧν ἄν τις εὐδαιμονήσειεν, οὕτω καὶ περὶ τὰς πόλεις συμβαίνει πέρας ἔχειν τὴν ἀτυχίαν, ὅταν ἀνάστατοι γένωνται. εἰ γὰρ δεῖ τὴν ἀλήθειαν εἰπεῖν, πόλεώς ἐστι θάνατος ἀνάστατον γενέσθαι.* Troia, quae erat maxima et celeberrima urbs totius Asiae, simulatque tota eversa est a Graecis, inhabitabilis erat et inculta per omne tempus, immo prorsus evanuit: Messene quin-

scimus personas eas finxisse, quae vitam spernerent, si recte et honeste vita iam frui poterant; et si nonnumquam miseros homines repraesentant mortem sibi exorantes, hoc eodem sensu accipiendum videtur, quo Homerus Ulixem narrat patrio fumo conspecto mori voluisse, et quo nos, si misera utimur vitae condicione vel in animi perturbationibus versamur, audacius quam verius mortem nobis exoramus. Si enim supra (p. 12) senum Atticorum tristes querellas in Sophoclis Oedip. Colon. v. 1213 sqq. commemoravimus, quibus Sophocles ipse senex paene in Mimnermi aliorum tristitiam et animi demissionem incidisse videtur, nemo obliviscetur has tristes de vita humana sententias a senibus, quibus vitae iucunditates praeterierant, proferri de senis sorte, qui in tot mala tantamque miseriam innocens inciderat, quantam homo ferre vix possit, et similes de misera hominum condicione sententias iam ab Homero vitae humanae, ut vidimus, laudatore esse prolatas (*P* 446; *σ* 130 et supra pag. 8).

Primus ab hac antiqua regula Euripides discessisse videtur non tam subita animi perturbatione vel acri adfectu invitus conreptus, sed constanti quodam consilio et cogitatione, cum ei persuasum esset a philosophis rerum novarum novaeque sentiendi rationis auctoribus edocto, vitam humanam natura sua ita comparatam esse ut vix digna esset qua frueremur. Nam si animus hominum vita defunctorum vera inmortalitate caret nec quidquam habet sibi proprium ac singulare, sed in inmortalem aethera dissolvitur (cfr. Helen. v. 1014 sqq.), operae non est pretium vitae servandae et excolendae, quippe quae pars sit alieni aetheris nobis per tempus aliquod tradita, operam dare.*)

Quo facilius ostendatur, Euripidem cum in ceterarum personarum moribus depin-

gentis annis postquam funditus deleta est, a vagis hominibus habitari coepta est; Atheniensium contra urbs, quae multas calamitates perpessa numquam a civibus desperantibus plane prodita est, ex his omnibus malis emersit et iterum atque saepe digna habita est, quae Graecorum salutis custos exsisteret. En habemus nobile exemplum nobis propositum et dignum quod imitemur. Numquam vir fortis et strenuus desperabit vel animum demittet, sed sapientia usus et moderatione ita in rerum condicione, in qua est, versabitur, ut vitam foveat et servare cupiat spe elatus, suis studiis, suis laboribus, suis etiam periculis et doloribus effectum iri, ut quae mala sint bona fiant, quae bona meliora. Idem quoque cavebit ne fortuna favente in superbiam incidat et insolentiam: memor erit Thucydidis Athenienses vituperantis, qui *τῇ παρούσῃ εὐτυχίᾳ χρώμενοι ἠξίουν σφίσι μηδὲν ἐναντιοῦσθαι. αἰτία δ' ἦν ἡ παρὰ λόγον τῶν πλεόνων εὐπραγία αὐτοῖς ὑποτιθεῖσα ἰσχὺν τῆς ἐλπίδος* (4, 65, 4).

Latinos auctores easdem fere varias et diversas protulisse sententias facile potest probari, sed ne longius a proposito discedam, id tantum commemoratum volo, Ciceronem in Cat. M. 20, 74 multa enarrasse a viris praeclaris egregie gesta, qui in liberanda patria in eum locum saepe essent profecti alacri animo et erecto, unde se numquam redituros arbitrarentur (cfr. Tusc. I, 49 init.). Pertinet huc quoque quod Aemilius Paulus consul dixisse fertur (Liv. XXII, 40, 3), *si quid adversi caderet, hostium se telis potius quam suffragiis iratorum civium caput obiecturum*, et quod Caesar dicit defensor Catilinariorum apud Sallust. Catil. c. 51, 20: *in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse, eam cuncta mortalium mala dissolvere, ultra neque curae neque gaudio locum esse*, quam sententiam tunc verbis probavit adversarius Caesaris M. Portius Cato c. 52, 13, viginti fere annis post re. Cfr. Lucret. de nat. rer. III, 828 sqq.; 912 sq. —

*) Uberius de Euripidis tristi de vita sentiendi ratione et de discrimine, quod inter Aeschylum atque Sophoclem et Euripidem intercedit, disputaverunt Reisacker l. c. p. XVIII — XXVII et Naegelsb. Nachhom. Theol. p. 459 sqq.

gendis tum in enarranda Helenae, Polyxenae aliarum sorte, quarum de morte sententiae a vero et felici Graecorum ingenio prorsus abhorrere videntur, ab antiqua illa regula discessisse, necesse erit prius quaeratur, quae fuerint cum aliorum poetarum tragicorum, Aeschyli, Sophoclis tum ipsius Euripidis in aliis fabulis de morte obeunda sententiae, deinde exponatur, quo novo, ut ita dicam, et adhuc Graecis ignoto animi adfectu Euripides has personas finxerit vel sibi optasse mortem vel obiisse. Quam quidem priorem quaestionis partem huic disputationi proponimus.

Ac primum quidem ea quaestio, quid poetae tragici de morte obeunda senserint, tres dividitur in partes: qui enim mortis desiderio tenentur, aut praesenti quodam et acri animi adfectu commoti mortem oppetere cupiunt, Ulixi similes audacius quam verius vitam contemnentes, ut supra iam saepe vidimus, aut mortem quaerunt, quoniam maiora mala patiuntur quam ferre possint, aut denique vitam spernunt et profundunt, ut vitae pretio maius aliquid adsequantur, quod viventes adsequi nequeunt.

Ex tribus his partibus, in quas quaestionem de mortis desiderio divisimus, prima illa, quae de eorum animi adfectu est, qui acriter commoti temere potius quam considerate mortem sibi exoptant, apud Aeschylum his potissimum exemplis significari mihi videtur. In Agamemnon. v. 539 (edit. Dindorf. Lips. 1857) praeco patria urbe conspecta haec dicit: *χαίρω· τεθνᾶναι δ᾽ οὐκέτ᾽ ἀντερῶ θεοῖς**), quae verba nihil aliud profecto significant nisi ardens desiderium quo homo tenebatur in patriam revertendi, et gratum erga deos animum, qui sibi tribuerint quod per decem annos vehementissime cupiverit. Gratus autem erga deos animus in eo maxime cernitur, ut pro donis a diis acceptis nos et ipsi dona iis obferamus, neque vilia, sed cara et magni pretii dona, quorum pretiosissimum et dulcissimum recte ille praeco vitam esse putavit. Simillimum igitur esse hunc locum illi Homeri, quem iam saepe dixi: *αὐτὰρ Ὀδυσσεύς, ϝιέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι ϝῆς γαίης θανέειν ἱμείρεται*, vix opus est dicere. Verum autem et sincerum mortis desiderium in his verbis non inesse facile quivis concedet. — In eiusdem fabulae v. 550 chorus senum Argivorum, Aegisthi, ut videtur, et Clytaemnestrae turpe inperium indignatus, se dicit magnopere mortem cupere (*θανεῖν πολλὴ χάρις*), et post occisum Agamemnonem rabiosamque Clytaemnestrae iactationem fideles domino senes v. 1450 sqq. lugentes exclamant: *φεῦ, τίς ἂν ἐν τάχει, μὴ περιώδυνος, μηδὲ δεμνιοτήρης, μόλοι τὸν αἰεὶ φέρουσ᾽ ἐν ἡμῖν Μοῖρ᾽ ἀτέλευτον ὕπνον, δαμέντος φύλακος κτλ.* Respondet Clytaemnestra v. 1462: *μηδὲν θανάτου μοῖραν ἐπεύχου τοῖσδε βαρυνθείς κτλ.*, his verbis significans mortem Agamemnonis non tantum esse malum, quod ferri non possit; neque videntur senes vero mortis desiderio teneri, quippe qui his verbis *μὴ περιώδυνος μηδὲ δεμνιοτήρης* etc. detrectent quidem mortem gravem et acerbam, quae sensim paulatimque conficit, et optent extemplo mori, sed postea aegre quidem et magnis iurgiis, tamen nimis patienter et haud scio an ignavius crudelium interfectorum dominationem ferant (cfr. v. 1669: *πρᾶσσε, πιαίνου, μιαίνων τὴν δίκην, ἐπεὶ πάρα*). — Et omnino in trilogia illa Aeschylea ardens exhibetur vitae amor: precibus invocavit patrem Iphigenia, ut vita virginali parceret (similiter, ut

*) Retinemus in tanta editorum discrepantia textum qualis vulgo traditur.

supra vidimus pag. 13, Iphigenia Euripidea) ibid. v. 228 sqq., precibus Clytaemnestra filium, ne matri vivendi senescendique facultatem praecideret, sed diras matris canes caveret (Choeph. 896 sqq. 908. 924). Et quid Cassandra, e patria abrepta, misera, serva, quae ab Apolline edocta iam diu sciebat sibi moriendum esse? Nonne invita de luce decedit, cuius vitam tristissimam reddiderit Apollo? Nemo profecto libenter servitutem fert (Agam. v. 953); tulit tamen Cassandra, regia Priami filia, et morti sine dubio praetulisset, si permisisset fatum. Hinc illae lacrumae, illae lamentationes (ibid. v. 1072 sqq. 1136 sqq. 1260. 1313), neque prius quam nullam vidit salutem, nullam mortis fugam (ibid. v. 1299. 1301), lamentari desinit vates Cassandra meminitque post Troiam captam se quoque vitam profundere decere, et gloriosam mortem mortalibus esse gratissimam (ibid. v. 1287 sq. 1303. 1314), quae quidem sententia chori senibus non satis placere videtur (ibid. v. 1304: οὐδεὶς ἀκούει ταῦτα — scil. εὐκλεῶς τοι κατθανεῖν χάρις βροτῷ — τῶν εὐδαιμόνων). Neque cum sorti sese iam tradidit, metum mortis prorsus potest cohibere Cassandra sperans opportuno ictu se esse obituram (ibid. v. 1292: ἐπεύχομαι δὲ καιρίας πληγῆς τυχεῖν). Atque ipse ille Alcumenae filius, qui Iovem adpellavit patrem, minime servile respuens iugum vitam sprevit, sed ingentem et animi vigorem et corporis robur, digna quae meliora perficerent, ad vilia adhibuit servorum munia (ibid. v. 1041 sqq.).

Necessitati igitur, quamvis gravi et acerbae, prudentes cedent (ibid. v. 1049. 1071); qui aliter sentiunt aut furore conrepti aut molli et virginali vitae inscientia decepti a genuina Graecorum sentiendi ratione plane abhorrent. Sic in Sept. adv. Theb. v. 111. 253 quod precantur puellae, ne servilis condicio, quae inpendebat, sibi inponatur, recte quidem faciunt, quamvis vehementer earum trepidationem atrox vituperet Eteocles; si v. 336 sq. mortuorum condicionem iis praeferunt qui servitium patiuntur atque miseriam, hoc quoque ferri potest: nam ex eo quod mortuorum condicionem vita misera meliorem existimamus, quamquam Homeri aetate viri fortissimi non ita senserunt, non statim sequitur, ut vitam scelesta quadam animi inpotentia praecidamus: potest enim volventibus temporibus vitae condicio dulcior suaviorque fieri; si vero v. 367 puellarum tristitia ad tantam animi demissionem defertur, ut sperent tenebroso exitu se flebilibus malis iri liberatum, meminerimus hanc sententiam a puellis vitae vicissitudinum insciis et periculorum metu exagitatis proferri et non solum antea iam ab Eteocle esse satis inprobatam (inde a. v. 181 sqq.), verum etiam postea toto fabulae exitu inprobari. Neque erit qui credat, si urbs a Polynice capta esset, puellas Assyriorum vel Carthaginiensium, omnino Semitarum qui dicuntur atrocem morem secutas mortem servili iugo praelaturas fuisse. Puellarum enim et omnino feminarum non esse liberam mortem quaerere quam, si fata ferant, in servilem et miseram vitae condicionem reduci malle, non solum Briseidis, Chryseidis aliarum epicorum poetarum feminarum exemplis demonstratur, sed ex universa Graecorum de feminis earumque vitae condicionibus et officiis sentiendi ratione adparet. Haud rara eiusmodi exempla tractaverunt poetae tragici: Danaides Aeschyleae minitantur quidem violentam mortem se esse obituras, si cogantur invisis sibi Aegypti filiis nubere (Suppl. v. 465. 788 sqq. 804 sq.), nihilo minus rebus Danai male gestis a se inpetrant, ut cogenti necessitati oboediant, quod in tragoediis trilogiae altera et tertia nobis deperditis Aeschylus videtur enarrasse (cfr.

Welcker Griech. Tragg. I p. 48, 14; Droysen vers. Germ. p. 326 sqq.). Facinore autem illo nefario, quod patris iussu omnes praeter Hypermnestram sorores perpetrarunt, etiam magis ostenditur quanto acrior fuerit in his feminis vitae amor quam ipsa morum integritas, pietas, humanitas. Neque solum feminas decet vitae miserias patienter ferre, si spes est fore ut subleventur, vel si omnino modum atque fines humanae patientiae non excedunt, verum etiam viros, principes, reges: nam olim Magnus Rex post caedem Salaminiam amissamque classem ingenti dolore conreptus inploravit quidem Iovem ut una cum occisis Persis morte se adficeret (Pers. v. 915): vixit tamen Xerxes et vita fructus est et proximo anno nova spe elatus iterum Graecis intulit bellum. Non tanta igitur ignominia videtur fuisse, non tantum dedecus post turpem in Asiam fugam, ut rex sincera teneretur mortis cupiditate.

Apud Sophoclem autem haec ficti mortis desiderii, quod deliberatione caret atque constantia, inveniuntur exempla: Miserrima Electra, quae sese dicit tanta malorum mole quasi obrutam, ut vix valeat gravissimos maerores sola perferre (Electr. v. 120. edit. Bergk. Lips. 1858), cuius vita omni spe carere videtur (ibid. v. 185 sqq.), cui praeter odium et iram et dolorem nihil relinquitur, quod vitam dulcem reddat (ibid. v. 221 sqq. 261 sq. 1311), perfert tamen omnia haec mala pertenui venturi fratris spe freta; atque tum demum cum etiam haec ultima spes sublata videtur, cum nuntiata Orestis morte sibi quoque mortem quasi inlatam esse sentit, cum ad nihilum reducta est (ibid. v. 674. 677), infelix Agamemnonis filia gratam sibi esse mortem profitetur, vitam maestam (ibid. v. 817 sqq.). Sed hoc quoque brevissimum mortis desiderium fortis virginis animus mox spernit novaque consilia mollem depellunt desperationem (ibid. v. 947 sqq.). Ac profecto quidem haud facile desperatio cohibetur: iterum atque iterum recurrit moriendi cupiditas, quoniam etiam ex Sophoclis opinione mortui maerore non adficiuntur (ibid. v. 1129 sq. 1165 sqq.); exitus autem fabulae ostendit recte fecisse Electram, quod animi fortitudinem non abiecit, sed aut pulchre sese ex miseriis eripere aut, si necesse esset, pulchre interire secum constituit (ibid. v. 1320 sq.). Confirmat in eadem fabula etiam Chrysothemis, quamvis aliter sentiat, inutile esse neque liberationem malorum sibi adferri, si turpi morte conripiantur sorores, pulchram quidem sed vanam et inanem obtinentes gloriam. Neque in eo esse summum malum ut moriantur, sed potius in eo ut mortis cupidae ne gloriam quidem (*λόγων εὔκλειαν*, v. 973), quae vita maior habenda sit, adsequantur (ibid. v. 1055 sqq.). — Et quid Oedipus de morte sentit? Cum ingentia scelestaque flagitia, in quae a deo quodam seductus ruerat, perspicere coepisset, exclamavit quidem (Oedip. R. v. 830 sqq): *μὴ δῆτα, μὴ δῆτ', ὦ θεῶν ἁγνὸν σέβας, ἴδοιμι ταύτην ἡμέραν, ἀλλ' ἐκ βροτῶν βαίην ἄφαντος πρόσθεν ἢ τοιάνδ' ἰδεῖν κηλῖδ' ἐμαυτῷ συμφορᾶς ἀφιγμένην*, et cum totum perspexisset scelus, crudeli manu in se ipsum saeviit: maior enim calamitas visa est quam quae posset ferri (ibid. v. 1293: *τὸ γὰρ νόσημα μεῖζον ἢ φέρειν*), neque infelix rex mortis desiderium totum reprimere potest (ibid. 1355. 1411 sqq.), quod in tantis vitae vicissitudinibus nemo erit qui miretur; tamen non temere vitam profundit Oedipus neque constanti mortis desiderio tenebatur. Nam in Oedip. Colon. v. 434 sq. et 768 sq. ipse se dicit de morte obeunda mox aliter sensisse atque antea, ubi etiam lapidibus interfici *ἥδιστον* sibi fuisset,

et paulo post in patria vitam degere dulce sibi visum esse caeco et mortalium miserrimo. Quamobrem vel mendici condicionem qui olim rex fuit morti praetulit usque ad id tempus, quo deus eum vocavit, ut bonum acciperet vita longe maius, de quo postea videbimus. — In eadem Oedipi Colonei fabula Ismenam videmus ablato patre acri mortis desiderio teneri v. 1689 sqq.: *κατά με φόνιος Ἀΐδας ἕλοι πατρὶ ξυνθανεῖν γεραιῷ τάλαιναν, ὡς ἔμοιγ' ὁ μέλλων βίος οὐ βιωτός* (quae verba Aldinam editionem secutus nescio cur Bergk Antigonae tribuerit), sed statim chori senes demissum puellae animum reprehendunt, quoniam quod deus miserit homines aequo animo deceat ferre. Nimiae enim anxietati indulgere nimioque maerori iniquum esse, praesertim cum ipsi morum integritatem non pelluerimus (ibid. v. 1693 sqq.). Similiter Antigonam mortis desiderio paulisper conreptam (ibid. v. 1733), cum vix dixit delicias sibi fuisse mala carissimi patris caussa suscepta, et gratum quod haud umquam gratum esse soleret (ibid. v. 1697 sqq.), et senes et Theseus rex consolantur (ibid. v. 1737 sqq. 1751 sqq.): nam *ἐν οἷς χάρις ἡ χθονία ξυναπόκειται, πενθεῖν οὐ χρή· νέμεσις γάρ.* Neque regis adhortationibus senumque monitionibus non oboedivit fortis puellae animus: nam v. 1769 sqq. novis consiliis et novo animi vigore vitaeque amore instructam virginem Thebas redire videmus, ut inpediat, si possit, fratrum diram caedem. Quomodo ipsa Antigona mortem obiisset et supra (pag. 11) commemoratum est et postea videbitur, cum de eorum morte loquemur, qui vitam profundunt, ut moriendo maius bonum adsequantur. — In Trachiniarum fabula Deianirae animum illud ipsum, quod saepe adpellavi, mortis desiderium invadit. Statim v. 15 sq. Oenei filia enarrat se mortem sibi exoptasse, ut Acheloi mariti amplexus effugeret. Cum vero neque Europa divini tauri amorem neque Leda cygni neque aliae mortales feminae aliorum inmortalium amatorum amores pro tanto malo habere solerent, ut mortem re vera eiusmodi amoribus praeferrent, cum Orithyia, quae et ipsa regiae stirpis erat et horridum atque hirsutum Boream nisi invita non sequebatur, cum aspero tamen coniuge concubuisset filiosque genuisset (cfr. Ovid. Met. 6, 677 sqq.), vix credibile videtur Deianiram mortem fuisse quaesituram, si Hercules aut non advenisset aut ab Acheloo superatus esset. Ex virginali igitur timore ac mollitia haec moriendi cupiditas orta videtur atque sinceritate constantiaque carere, praesertim cum Deianira satis sciat iuventutis esse non tristitia aetatem consumere, sed deliciis vitae frui usque ad id tempus, ubi virgo uxoris munibus fungens nocturnis curis occupetur eiusque sollicitus animus vel coniugi timeat vel liberis (ibid. v. 144 sqq.: *τὸ γὰρ νεάζον ἐν τοιοῖσδε βόσκεται χώροισιν αὑτοῦ, καί νιν οὐ θάλπος θεοῦ, οὐδ' ὄμβρος, οὐδὲ πνευμάτων οὐδὲν κλονεῖ, ἀλλ' ἡδοναῖς ἄμοχθον ἐξαίρει βίον ἐς τοῦθ', ἕως τις ἀντὶ παρθένου γυνὴ κληθῇ κτλ.*). In eiusdem fabulae v. 303 sqq. Deianira depulsorem invocat Iovem, ut prius se e vita tollat quam liberos videat servili condicioni subcumbentes. Sed cum multae matres liberos in servitutem abreptos viderint neque hanc ob caussam, quamvis gravem, sincere mortem sibi exoptarint, Deianira lamentabili Ioles captivarumque feminarum adspectu ad tantam animi tristitiam adducta esse videtur, ut temere mortis desiderio indulgeret, nisi fortasse hoc statuendum est, Herculis uxorem maternae vitae pretio liberorum suorum libertatem a deo vel fato quasi redimere vitamque profundere velle, ut vita maius adsequatur bonum. Et quid ipsa Iole, nobilis Euryti filia? quae ex quo tempore ventosam

reliquit Oechaliam, tacita indulsit quidem maerori atque lacrumis (ibid. v. 323 sqq.), numquam tamen id secum egisse videtur, quanto optabilius esset libera conripi morte quam servili uti vita. Neque inprudenter fecit Iole vitam non respuens. Nam fortis Iovis filius tanto pulchrae servae tenebatur amore, ut iam moribundus et horribili clade paene absumptus fractusque dolore, cum inmortalitatem ipsa morte quaesivit, suavi generositate caram puellam filio commendaret et recusanti Hyllo diras potius precaretur quam eam relinqueret, propter cuius amorem cruenta manu Oechaliam olim delevisset (ibid. v. 1221 sqq. 1238 sqq.) et ipse nunc periret. Qua blanda et generosa magni viri erga virginem verecundia, quae quidem a nimia Euripidearum personarum mollitia longe distat, dulcius aliquid cogitari vix potest. — Similis Ioles in Aiacis fabula invenitur Tecumessa, quae et ipsa e nobili stirpe nata (cfr. v. 487 sqq.) servitutis pertulit iugum et quam, licet bello captam, non levi amore coluit magnus Aiax (ibid. v. 211: *ἐπεί σε λέχος δουριάλωτον στέρξας ἀνέχει θούριος Αἴας*). Neve putet aliquis Tecumessam libertatis et generositatis sensu caruisse, cui persuasum esset nullum hominibus maius esse malum quam servilem condicionem (*ἀναγκαίαν τύχην*), neque acerbius sibi aliquid accidere posse quam Aiace mortuo cum filiolo in miseriam proripi et servitutem (*δουλίαν τροφήν*, ibid. v. 499). Cum enim sic placuisset diis atque virtuti Aiacis, ut in servitutem abrepta esset, iniquum fuisse futurum si fatum subire recusavisset. Nam postquam Aiacis hasta patriam delevisset, matrem autem patremque sors conripuisset, nihil sibi reliquum fuisse quo niteretur, nisi novum dominum qui sibi pro patria fuisset, nullas divitias, nisi in Aiace totam posuisset salutem (ibid. v. 485 sqq.). Quas quidem sententias ex intimo Graecorum ingenio protulisse mihi videtur Tecumessa Sophoclea, quae deorum voluntatem reverita femineo obsequio piaque, ut ita dicam, devotione vitae vicissitudines pertulit et a fato inpositum dominum maritumque adamavit (*εὖ φρονῶ τὰ σά*, v. 491 sq.), neque mortis desiderio dedita eo progressa est, ut re vera de vita decedere optaret. Nam si v. 392 sq. acri dolore concitata haec quidem dixit: *ὅταν κατεύχῃ ταῦθ', ὁμοῦ κἀμοὶ θανεῖν εὔχου· τί γὰρ δεῖ ζῆν με σοῦ τεθνηκότος;* patienter tamen mortem Aiacis ingentemque toleravit dolorem, neque tanto servitutis iugo, quantum inpendebat, talibusque custodibus, quales erant crudeles Atridae, commota est, ut contra deorum voluntatem repugnaret et vitam sibi filioque eriperet (ibid. v. 944 sq. 950 sq.). Neque enim prorsus exspes erat Tecumessa: nam in hoc eodem filio, qui tum nihil sentiens dulcissima fruebatur vita, nonne magna infelicis matris spes posita erat? quem ipse Aiax iussit v. 558 *κούφοις πνεύμασιν βόσκεσθαι, νέαν ψυχὴν ἀτάλλων, μητρὶ τῇδε χαρμονήν*, dum tempus venisset, quo tempore *τὸ χαίρειν καὶ τὸ λυπεῖσθαι* didicisset et iratus inimicis propter ignominiam patri inlatam ostenderet, qualis ex quali patre esset natus. Nonne Teucrum habuit *πυλωρὸν φύλακα*? Nonne Eurysaces fortasse, sicut pater erat precatus, felicior patre erit, ceteroquin similis et non malus (ibid. v. 550 sq.)? Immo ipsa amoris memoria, quo Tecumessam coluerat Aiax, qui asperis verbis non usus esset (ibid. v. 293. 312. 369. 591 sqq.), nisi insania exagitatus esset vel si animi fortitudinem sibi conservasset, nonne ea memoria cum ea spe coniuncta reliquam infelicis matris vitam si non dulcem, tolerabilem tamen reddere poterit? Et si haec quoque spes vana fuerit atque falsa, si mala maiora creverint quam quae ferri possint, tum demum

tempus venerit, non antea, quo Aiacis coniunx constanter et sincere sibi exoptabit quam olim obiit mortem maritus. Sic mihi Sophocles felicissime in hac fabula id quod feminas ex Graecorum more deceret docuisse videtur. — In ea denique fabula, quam octogenarius docuisse videtur Sophocles (Olymp. XCII, 3), nemo mirabitur quod Philocteta non solum foedo laborans morbo, sed *δύστηνος, μόνος, ἔρημος, ἄφιλος* (Philoct. v. 227 sq.), interdum magno mortis desiderio tenetur (ibid. v. 747 sqq. 797 sqq.) et Neoptolemum precatur ut doloribus excruciatum Lemnio inmittat igni; sed has preces nisi acribus morbi doloribus extortas non esse neque Philoctetam constanti mortis cupiditati indulsisse, sed potius vivendi cupidissimum fuisse, plane ostenditur his verbis: *ἀπόδος, ἱκνοῦμαί σ', ἀπόδος, ἱκετεύω, τέκνον. πρὸς θεῶν πατρῴων, τὸν βίον με μἀφέλῃς* (quod cum Dindorfio scripsit Bergk pro vulgat. *μή μου 'φέλῃς* et Schneidewini *με μὴφέλῃς)* et sequentibus inde a versu 932, quae satis demonstrant, quantas delicias in vita quamvis misera et tormentorum plena Philocteta positas esse existimarit. Longe autem alia res est quae deinde sequitur, neque ea in hac prima quaestionis parte tractanda nobis fuisset, nisi exitus fabulae ut id faceremus postulare visus esset. Nam cum Philocteta dicit, priusquam vi invisorum sibi hominum Troiam se rapi patiatur, fore ut de rupe se praecipitans caput elidat (ibid. v. 1001 sq.) vel omnia mala perferat (ibid. v. 999. 1197 sqq.), ex aequa et viro digna sententia haec verba prolata videntur. Decet enim virum bonum atque fortem infamiam magis fugere quam ipsam mortem, famam contra honestatis morumque integritatis vel vitae pretio emere. Infame autem fore et turpe si repudiatus vir cum repudiantibus sese coniungeret, Philoctetae persuasum est et cum Philocteta plerisque viris honestis (ibid. v. 1352 sqq.) Quid igitur faciendum. est Philoctetae? Vetat eum Troiam proficisci sensus honestatis: relictum autem desertumque et arcu privatum tanta manent mala, quae maiora sint quam homo possit ferre. Nihil igitur miserum et omni spe carentem iuvat, nisi ut properum e vita quaerat exitum, quo tardae acerbaeque mortis effugiat cruciatus (ibid. v. 1021. 1092), sive stricto gladio sive sagitta sive securi cruentam caedem absolvat (ibid. 1204 sqq.). Sed tum quoque e dulci vita mox decedendum sibi esse valde dolet Philocteta in praeclaro illo *κομμῷ* inter ipsum et nautas chori (ibid. 1086 sqq. 1102 sqq. 1158 sqq. 1213 sqq.), maximo sic sese ostendens teneri vivendi amore. Et recte quidem vitam tantopere amavit; neque mortem effugiendi non datur potestas. Quod enim hominibus, quippe qui saepe errent, de vitae honestate conservanda visum est, non idem semper diis inmortalibus visum est. Venit amicus Hercules hortaturque Philoctetam ut salva morum integritate Troiam proficiscatur, ubi non solum ut foedo morbo liberaretur constitutum sit, verum etiam ut praeclara frueretur post deletam Troiam vita. Tantum igitur videtur tribuisse vitae amori Sophocles, ut deum in scaenam vocaret, quo adiutore vitam servaret Philoctetae in summis miseriis vitae amantissimi.

Restat ut quomodo Euripides hoc mortis desiderio adfectas finxerit personas perquiramus, qui vitae dulcedini non tantum tribuisse videtur, quantum et Aeschylus tribuerat et Sophocles. Saepe enim eos homines vitae amore devinctos repraesentat, qui vel ignavia vel tardiore hebetioreque ingenio nobis displiceant. Sic in Orestae fabula ista verba v. 1509 (edit. Nauck. Lips. 1857), quae supra (p. 2) commemoravi, per se verissima, ex ore Phrygis

nisi inrisione quadam non proferuntur, quae inrisio Orestae minis et fastidio despicatissimi et contemptissimi hominis non minuitur (ibid. 1517. 1527); et in Heraclidarum v. 1016 sq. 1026 Eurystheus, qui virtute profecto non excellebat, vitae amans quidem fingitur (*θανεῖν οὐ χρῄζω*), sed haud multum curans, si e vita sibi sit decedendum potentia exuto atque libertate. Et recte quidem Eurystheus vitam amat, mortem superatus non timet, sed tota ratio, qua in extrema fabula rex se gerit, id efficit, ut inrisionem quandam et vitae neglegentiam sentiamus. In primis autem in Alcestis fabula, quam vigente aetate Euripides docuit*), disceptatio illa inter Admetum et Pheretem patrem nos offendit: nam etiam in eiusmodi fabula, quae satyrici dramatis, quod dicitur, loco agebatur, modestia quaedam adhibenda videtur. Sed quae rerum sententiarumque conversio! Incusat enim Admetus patrem et omnino senes, quod mortem sibi exoptent quidem senectutem longamque temporis spatium fastidientes, si vero propius accesserit mors, nolint mori neque senii gravitatem iam sentiant (cfr. v. 669 sqq.). Bene se defendit Pheres et verissimas profert sententias, quas nemo erit qui inprobet, v. 682 sqq.: *ὀφείλω δ' οὐχ ὑπερθνήσκειν σέθεν· οὐ γὰρ πατρῷον τόνδ' ἐδεξάμην νόμον παίδων προθνήσκειν πατέρας, οὐδ' Ἑλληνικόν . . . χαίρεις ὁρῶν φῶς· πατέρα δ' οὐ χαίρειν δοκεῖς; ἦ μὴν πολύν γε τὸν κάτω λογίζομαι χρόνον, τὸ δὲ ζῆν μικρόν, ἀλλ' ὅμως γλυκύ . . . σίγα· νόμιζε δ' εἰ σὺ τὴν σαυτοῦ φιλεῖς ψυχήν, φιλεῖν ἅπαντας.* v. 712: *ψυχῇ μιᾷ ζῆν, οὐ δυοῖν ὀφείλομεν.* v. 722: *φίλον τὸ φέγγος τοῦτο τοῦ θεοῦ, φίλον.* Sed Pheretis persona, iniuste ignavia quadam a poeta adspersa (cfr. v. 723 sqq.: *κακὸν τὸ λῆμα κοὐκ ἐν ἀνδράσιν τὸ σόν*), nobis placere non potest. Iniqua poposcit mollis Admetus: animi magnitudine caret Pheres. In utraque parte peccatur et magis sophistarum more disceptatur quam ut sanorum hominum ratione quid honestum sit et utile doceatur, ex quo male philosophandi studio novae nascuntur sententiae ab antiquo Graecorum ingenio prorsus alienae. Neque vero illud philosophandi studium Euripidis animo infixum sola caussa fuisse videtur, ex qua illa vitae despicientia, quam cum vitae caritate quodam modo pugnantem saepe cernimus, oreretur; accessit, ut iam antea dixi, innata quaedam naturae tristitia et austeritas, quam cum gravitate coniunctam in personarum a poeta fictarum moribus etiamnunc cognoscimus. Quam ob caussam etiam Aristophanes tam acerbe Euripidem insectatus esse videtur atque omnino morum antiquorum et laetae gloriosaeque vitae fautores eius fabulas magnam partem inprobasse, qui moribus severis ad umbratilem vitam inclinavit, a rebus civilibus alienam et veteribus inertem visam et probrosam, qui nocturnis inter amplum librorum adparatum meditationibus ad eam audaciam pervenit, ut non solum sacerdotum et vatum, ipsorum antiquorum deorum auctoritatem in dubium vocaret (cfr. quos locos adfert Nauck in praefat. edit. p. XXX adnotatt. 54. 55, et supra pag. 13), sed etiam tam constanter et tam lugubri orationis

---

*) Ceterum Alcestis fabulam eam esse, qua vitae caritas maxime probetur (cfr. v. 301: *ψυχῆς γὰρ οὐδέν ἐστι τιμιώτερον*), recte monet Reisacker, l. c. p. XXIII, qui haec dicit: *Alcestis ist im Wesentlichen nur ein Gemälde des innern Seelenkampfes mit dem Tode. Durch die ganze Darstellung zieht sich der Gedanke hin, dass das Leben dem Menschen süss, der Tod verhasst ist. Alcestis überwindet den Tod durch hingebende Liebe zum Gatten, aber nur mit unsäglicher Noth und Klage etc. etc.*

vitae humanae miseram condicionem ut nemo alius conquereretur. Inveniuntur quidem, ut supra (pag. 12. 23) iam vidimus, apud ceteros poetas tragicos haud raro loci, quibus ostenditur vitam minime habendam esse pro summo bono diemque fatalem omnes manere homines, sunt quoque interdum loci, quibus docemur hominibus miseris vel non esse vel quam celerrime de vita decedere posse optandum esse. Addi possunt iis quos iam commemoravimus hi: Aeschyl. Choeph. v. 103, ubi Electra animi quadam tristitia commota dicit: *τὸ μόρσιμον γὰρ τόν τ' ἐλεύθερον μένει καὶ τὸν πρὸς ἄλλης δεσποτούμενον χερός*; in Sept. adv. Theb. v. 684 Eteocli *μόνον κέρδος ἐν τεθνηκόσιν* est (iure, ut postea videbimus), et in Aeschyli fragmentis (edit. Nauck. Lips. 1856) haec legimus, fragm. 343: *ὡς οὐ δικαίως θάνατον ἔχθουσι βροτοί, ὅσπερ μέγιστον ῥῦμα τῶν πολλῶν κακῶν*, fragm. 250: *ὦ θάνατε Παίαν, μή μ' ἀτιμάσῃς μολεῖν· μόνος γὰρ εἶ σὺ τῶν ἀνηκέστων κακῶν ἰατρός. ἄλγος δ' οὐδὲν ἅπτεται νεκροῦ.* Similiter Sophocles Creontem facit dicentem in Oed. Colon. v. 955: *θανόντων δ' οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται*, quocum conferatur locus Electrae, quem iam supra attuli (pag. 26), et Trach. v. 1173: *τοῖς γὰρ θανοῦσι μόχθος οὐ προσγίγνεται.* Quoniam igitur omnibus imminet mors hominibus, mortuorum autem condicio de communi Graecorum sententia cum gaudiis et laetitia tum aerumnis et doloribus caret, interdum mors erit non fugienda, raro quaerenda. Sed Euripides non solum senes vita paene defunctos, quemadmodum Sophocles senex in Oed. Col. v. 1225 sqq. (supra pag. 12. 23), sed Meropam matrem*) — ac solent certe matres materno imbutae amore vitam plurimi habere ac gravissimos labores laeto animo subire, ut vitam sibi servent, liberis, marito — talem finxit, ut diceret numquam vixisse humanae sorti praeferendum esse et lugeri iuberet in lucem editos, celebrari et felices praedicari mortuos utpote vitae laboribus defunctos, fragm. 452: *ἐχρῆν γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά, τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων* (cfr. quod supra Herodotum de Trausis narrasse diximus p. 14). Eundem vidimus nescire se quidem professum esse quid post mortem homines maneret, dubitavit tamen an quae vita nobis diceretur mors esset, vera vita mortuis demum contingeret. Ferri potest quod supra (pag. 12) Macariam dicentem cognovimus in Heraclid. v. 595: *τὸ γὰρ θανεῖν κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεται.* nam potest fieri ut mors ultima sit medicina (cfr. Aesch. Suppl. v. 804: *τὸ γὰρ θανεῖν ἐλευθεροῦται φιλαιάκτων κακῶν*; Eurip. Alcest. v. 937 sqq.); quae vero praecedunt verba: *τάδ'* (scil. gloriosa mors pro cognatis) *ἀντὶ παίδων ἐστί μοι κειμήλια καὶ παρθενείας. εἴ τι δὴ κάτω χθονός· εἴη γε μέντοι μηδέν* etc., non tam vim tragicam quam nimiam tristitiam rerumque omnium desperationem e falsa philosophia temporumque iniquitate ortam exhibent. Eandem tristitiam cernimus in primis versibus Orestis, si ita eos interpretamur, ut interpretandi esse videntur, non ut Cicero Socratem interpretatum esse vult (supra pag. 9, ubi Ciceronis interpretationem sequebamur), in Hippol. v. 189 sqq.: *πᾶς ὀδυνηρὸς βίος ἀνθρώπων κοὐκ ἔστι πόνων ἀνάπαυσις.* in Alcest. v. 802: *οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος, ἀλλὰ συμφορά*, in Troad. v. 636 sqq., ubi Andromacha matris praeclaris verbis: *οὐ ταὐτόν, ὦ παῖ, τῷ βλέπειν τὸ κατθανεῖν· τὸ μὲν γὰρ οὐδέν, τῷ*

*) Tribuit illa verba Meropae, Cresphontis uxori, Hartung Eurip. Restit. II p. 48.

δ' ἔνεισιν ἐλπίδες non intellectis plane desperans dicit: τὸ μὴ γενέσθαι τῷ θανεῖν ἴσον λέγω, τοῦ ζῆν δὲ λυπρῶς κρεῖσσόν ἐστι κατθανεῖν. ἀλγεῖ γὰρ οὐδὲν τῶν κακῶν ᾐσθημένος . . . ἐμοὶ γὰρ οὐδ' ὃ πᾶσι λείπεται βροτοῖς ξύνεστιν ἐλπίς κτλ., fragm. 287, 2: κράτιστον εἶναί φημι μὴ φῦναι βροτῷ, fragm. 957: ὁ βίος γὰρ ὄνομ' ἔχει, πόνος γεγώς, fragm. 900: τὸ μὴ γενέσθαι κρεῖσσον ἢ φῦναι βροτούς, fragm. 536: κατθανὼν δὲ πᾶς ἀνὴρ γῆ καὶ σκιά: τὸ μηδὲν εἰς οὐδὲν ῥέπει, fragm. 639: τίς δ' οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν, τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν κάτω νομίζεται; fragm. 830: τίς δ' οἶδεν εἰ ζῆν τοῦθ' ὃ κέκληται θανεῖν, τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐστίν; Iphig. Aulid. v. 161 sqq.: θνητῶν δ' ὄλβιος εἰς τέλος οὐδεὶς οὐδ' εὐδαίμων· οὔπω γὰρ ἔφυ τις ἄλυπος (in eadem tamen fabula Achilles Iphigeniam miro quodam animi ardore, quem in priscis virginibus vix invenies, conreptam v. 1390: ἡ δ' ἐμὴ ψυχὴ μί' οὖσα πάντα κωλύσει τάδε; et 1394: εἷς γ' ἀνὴρ κρείσσων γυναικῶν μυρίων ὁρῶν φάος, cum paratam se dixerit ad vitam pro salute et pro gloria Graecorum ab irata dea Aulide adversis ventis retentorum profundendam, his verbis monet ne temere agat v. 1416: ἄθρησον, ὁ θάνατος δεινὸν κακόν). Ac facili quidem negotio numerum locorum satis tristem animi habitum exhibentium augere possumus, sed quos attuli locos satis erunt, quibus Euripidis ingenium ad mollem quandam et viro non satis dignam tristitiam inclinans inlustretur. Verum enim vero non semper poeta huic ingenio indulsit neque semper in personarum moribus depingendis ab antiqua Graecorum sentiendi ratione abhorruit (cfr. supra 12 sq.). Cavendum enim videtur ne eas sententias, quas et veteres et recentiores de Euripidis morum et ingenii austeritate et tristitia, de eius μισογυνίᾳ, de scribendi ratione maxime tragica ediderunt, ita accipiamus, ut ad omnes Euripidis personas adhibeantur et absolutam, ut ita dicam, habeant vim. Nam neque semper et omni ratione Euripides personis suis tristem infixit animum, neque semper vitae laetae exoptabiles contempsit delicias, neque semper τραγικώτατος est, neque semper μισόγυνος mulieres tamquam nefarias et scelerum quorumlibet machinatrices insectatus est, sed omnia haec interpretum placita caute recipienda videntur.

Ex ipsis igitur fabulis quid de morte obeunda censuerit poeta repetendum erit. Ac primum quidem ficti illius neque constantis mortis desiderii vestigia etiam apud Euripidem interdum occurrunt. Sic in Troadum fabula videmus Andromacham Polyxenae sortem feliciorem praedicantem quam suam ipsius v. 630 sq., et v. 636 sqq., ut supra commemoravimus, mortuorum condicionem vitae maestae praeferendam censentem. Sed Hecuba, quae tot tantaque mala quanta vix ulla femina pertulit, hanc tristem vitae despicientiam statim reprehendit et forti animo v. 632 sq. id spectandum esse dicit, ut vitam servemus, quoniam qui caelesti luce fruatur sperare possit, immo suadet Hectoris uxori v. 696 sqq., quae nos non facile suadebimus, etiamsi haec quoque ex Graecorum sententia suadere videtur. Et ultima quoque spe Astyanactis crudeli caede sublata neque Hecuba vitam profundit neque Andromacha; et omnino in hac fabula, quamvis grave servitutis iugum conquerantur Hecuba et captivae feminae (ibid. v. 98 sqq. 489 sqq.) lamententurque vitae humanae vicissitudines (ibid. v. 1203 sqq.), moriendi tamen desiderium non tantopere effertur quam in Hecubae aliis fabulis. Tum demum, cum incensae Troiae flammam conspicit, miserrima regina furore conrepta erga deos reverentiam neglegit et in flammas sese inmittere cupit,

ut una cum patria urbe moriatur (ibid. v. 1280 sqq.). Sed ne hoc quidem malum eiusmodi videtur esse, ut ferri nequeat: cernimus enim reginam, ne in flammas rueret retentam, his verbis de scaena decedentem v. 1327 sqq.: *τρομερὰ τρομερὰ μέλεα, φέρετ' ἐμὸν ἴχνος· ἴτ' ἐπὶ [τάλαιναν] δούλειον ἁμέραν βίου* (similiter v. 677 sqq. Andromacham). — Longe aliam finxit Euripides Hecubam in ea fabula cui hoc ipsum nomen inscriptum est. Nihil enim animi fortis, nulla spes, nulla laetitia nisi inmanis illa relinquitur, qua exsultat saeva anus in foedissimo facinore perficiendo. Nam quae titubante pede non tam ambulat quam repit, partim a famulis sustentata, partim scipioni innixa (cfr. v. 62 sqq.), quae patriam vidit deletam, liberos ferro occisos, inmolatam filiam, filium trucidatum, tam parum miseria et suo luctu videtur fracta, ut poenas sumat crudelissimas. Quid enim iuvant eruti scelerato homini oculi, quid innocentes filii trucidati a feminis captivis quidem et multa passis, sed in ipsa miseria femineae naturae omnisque humanitatis expertibus et feris similibus beluis? Foeda est compensatio, reconciliatio, quam poscit fabula, nulla, nulla quam dicunt *κάθαρσιν*. Accedunt dira Polymestoris vaticinia, quae Hecubae in canem mutationem, Agamemnoni et Cassandrae a Clytaemnestra caedem minitantur, ita ut in tota extrema fabula neque ad miserationem neque ad ullum omnino generosum animi adfectum commoveamur, nisi virginis inmolatae memoria ex priore parte fabulae petita infelicem sed crudelem matrem aliqua misericordiae particula adspergit. In ipsa Hecuba autem nihil invenitur quod probemus, nihil in Polymestore, nihil in Agamemnone, nihil in captivis feminis: omnia foeda, turpia, crudelia, inmania sunt. Nihil habemus quod admiremur, quod animi quadam adsensione metuamus, speremus, optemus. Quae antea nobis misera visa est et miseratione digna Hecuba, nunc compensationem quandam miseriarum sibi ipsa crudeli manu adripuit facinus foedum foedo facinore male ulta: nobis nihil relinquitur, qui pergamus Hecubae partibus favere. Cuius fabulae argumento quamquam multi viri docti succurrere conati sunt, nemo tamen adhuc Godofredi Hermanni censuram iusta ratione refutasse videtur, qui in praefatione editionis (Lips. 1831 p. XV sqq.) suspicatus est tragica visa esse Euripidi etiam quae nihil aliud essent nisi detestabilia. In fabula igitur tam monstruosi argumenti non mirabimur si multi inveniuntur loci, in quibus acre mortis desiderium personas agentes vel adeo patientes teneat. Quid de Polyxena moriendi cupida sentiendum nobis videatur, alio tempore quaerendum erit, neque hoc loco de Polymestoris mortis desiderio nobis dicendum est; sed quid Hecuba de morte obeunda senserit, hanc ob caussam hoc loco pertractandum videtur, quoniam ipsa quam perfert miseriam non pro tanto malo ducit, quantum ferri non possit, sed potius vitae amans vitam quaerit et amat, ut bonum aliquod sibi propositum adsequatur. Itaque v. 157 sqq. Hecuba iugum *δουλείας τᾶς οὐ τλατᾶς. τᾶς οὐ φερτᾶς* conqueritur quidem et nuntiata filiae inminenti caede tanto conripitur dolore, ut exclamet v. 165: *ὦ κάκ' ἐνεγκοῦσαι Τρῳάδες ... πήματ', ἀπωλέσατ' ὠλέσατ'· οὐκέτι μοι βίος ἀγαστὸς ἐν φάει*; sed bene scire videtur sibi nondum moriendum esse, quoniam in fatis sit, ut alia et maiora videat mala (ibid. v. 231 sqq.). Nam non tum mortua est, cum ex sua sententia eam decebat mori cum marito et filiis qui in patria perierunt, sed cum iis omnibus ei vivere constitutum est, quorum haec sors est, ut non moriantur, quo plura perferant et graviora mala. Si paulo post

v. 385 sqq. Hecuba suam ipsius vitam Ulixi obfert, ut filiae vitam redimat, probandum hoc videtur: decet enim bonas matres non recusare, quin pro liberorum vita ipsam mortem oppetant, atque haec mortis obeundae ratio in tertia huius quaestionis parte adcuratius perquiretur. Neque illa infelicis reginae verba v. 391 sq. et 396, quibus acris moriendi cupiditas significatur, inprobanda videntur: nam nobis quidem tanta videntur mala in Hecubam inruentia, quanta ferri vix possint. Si igitur mater filia orbata haec dicit v. 431: *τέθνηκ᾽ ἔγωγε πρὶν θανεῖν κακῶν ὕπο,* facile quivis sentiet, quantis doloribus animus Hecubae fuerit adfectus, neque mirabitur quod, postquam ex matris amplexu abiit puella, illa animo deficiente humi procumbat vestibusque involuta mortuae instar usque ad Talthybii in scaenam introitum iaceat, qui simulatque miseram [conspexit anum v. 497 sq., priusquam in tam gravia incidat mala, exoptat sibi quamvis seni ut moriatur, quod quidem mortis desiderium eodem sensu comprobandum videtur, quo nobis miseria Hecubae modum humanae patientiae paene excedere visa est. Pergit Hecuba mortis desiderio teneri v. 505 sqq., et vix praeclara filiae morte relata eius desperans animus paulum requievit, cum nova mala matrem adflictant. Tum vero, quamquam *πολυπονωτάτην βροτῶν* (ibid. v. 721) deus eam effecit, minime huic desiderio indulget, sed potius, postquam dubitavit utrum supplex Agamemnonem adiret an tacita patientia mala perferret (ibid. v. 738), vita utitur quasi adiumento, quo sibi ulciscendi facultatem paret. Ac iam vidimus quantum malum servorum condicio veteribus visa esset supra pag. 17, et cum de Aeschylea Cassandra, de Iole et Tecumessa Sophoclis loquebamur pag. 25. 27 sq.; confirmat quam grave sit alienis hominibus, inimicis, hostibus servire Antigona Euripidea, quae in Phoeniss. v. 190 Dianam supplex inplorat, ut servitutem a se avertat, et Polyxena multis locis (Hec. v. 357 sqq. 420. 525), neque minus grave malum veteres in eo esse arbitrabantur, si quis exsul vitam degeret procul domo et patria (cfr. Eurip. Electr. v. 1314 sq.: *τίνες ἄλλαι στοναχαὶ μείζους ἢ γῆς πατρῴας ὅρον ἐκλείπειν;* Med. 643 sqq.: *ὦ πατρίς, ὦ δώματα, μὴ δῆτ᾽ ἄπολις γενοίμαν... θανάτῳ θανάτῳ πάρος δαμείην ἁμέραν τάνδ᾽ ἐξανύσασα· μόχθων δ᾽ οὐκ ἄλλος ὕπερθεν ἢ γᾶς πατρίας στέρεσθαι,* v. 798 sq., Hippolyt. v. 1052. 1092 sqq., Soph. Oed. Col. v. 1356 sq.). Sed haec mala omnia Hecubae non tanta videntur, quanta subire recuset, modo poenas ab eo, in quem summo odio furit, exigere possit. Superato igitur omni metu, qui ex servili condicione etiam in nobilibus hominibus nasci solet (Hecub. v. 741 sq. 798 sq. 822), ad tantam procedit rabiem, ut vitam liberam spernens et tota in ulciscendo Polymestoris scelere occupata haec dicat v. 756 sq.: *οὐ δῆτα· τοὺς κακοὺς δὲ τιμωρουμένη αἰῶνα τὸν ξύμπαντα δουλεῦσαι θέλω,* neque dubitet malis artibus et Venere advocata, maternae dignitatis haud satis memor, Agamemnonem Cassandrae amore obstrictum in suas partes trahere (ibid. v. 824 sqq.). Quae quidem res, in qua non minor foeditas cernitur quam in erutis Polymestoris oculis et filiis trucidatis, nulla profecto ratione probari potest; demonstrat autem hoc dirum exemplum, etiam Euripidem interdum personas vel miserrimas non tanto vinctas mortis desiderio finxisse, ut vitam omni ratione profundere cuperent. Atque inmanes quidem poenas adsecuta Hecuba si nihil curat, quomodo aut moriendum aut vivendum sibi sit, et neque mortis neque vitae desiderio tenetur (ibid. v. 1274: *οὐδὲν μέλει μοι σοῦ γέ μοι δόντος δίκην*), nemo erit qui miretur, quoniam is poeta, qui talem effingere

potest fabulam, vitam vix pluris aestimabit quam bonum mediocre vel, ut ita dicam, indifferens. — Ab hac foeda Hecubae Euripideae sententia discedentibus quaerendum nobis erit, quomodo in aliis fabulis huius poetae personae mortis desiderio parum constanti et sincero adficiantur. In Hippolyti fabula Phaedrae nutrix cum dominae perditum amorem comperisset (cfr. 139 sq.: *κρυπτῷ πάθει θανάτου θέλουσαν κέλσαι ποτὶ τέρμα δύστανον*), summa se teneri moriendi cupiditate profitetur, ita ut exclamet v. 353 sqq.: *ἐχθρὸν εἰσορῶ φάος. ῥίψω μεθήσω σῶμ', ἀπαλλαχθήσομαι βίου θανοῦσα· χαίρετ'· οὐκέτ' εἴμ' ἐγώ*; neque minus vehementer chorus feminarum Troezeniarum, quam totus miserae reginae sit deditus, his verbis profitetur v. 363 sq.: *ὀλοίμαν ἔγωγε, πρὶν σᾶν, φίλα, κατανύσαι φρενῶν*. De qua professione quid censendum sit optime perspicietur, cum quaesiverimus, quid fecerit nutrix, ut Phaedrae miseriae consuleret, quam longe aberraverit a virtutis honestatisque via, ut dominae adflictae (ibid. 400 sq.: *ἐπειδὴ οὐκ ἐξήνυτον Κύπριν κρατῆσαι, κατθανεῖν ἔδοξέ μοι κράτιστον*) vitam et suam ipsius servaret (ibid. v. 490 sqq. 501 sq. 509 sqq.), sic ostendens mortis desiderium minime sincerum fuisse et constans. Et omnino servorum atque chori professiones, quibus declarant isti homines se cum dominis vel vivere vel mori velle, plerumque pro talibus habendae videntur, quae ex sincero animo non proferantur, quoniam servorum erga dominos amor raro tantus est, ut servi de vita decedentes dominos sequantur, et chori munus in Graecorum fabulis maxime in eo versatur, ut animi adfectus perturbationesque qui chori partes agunt magis moderentur, levent, coerceant quam adsensu suo augeant. Quod satis probari videtur eo quod supra (pag. 24) de senibus Argivis Agamemnonis caedem conquerentibus dictum est; postea autem de iisdem videbimus interdum etiam sincerae constantiae pietatisque exempla in Graecis fabulis inveniri. — Ut ab occisi Rhesi suspicione absolvantur Troiani milites, chori partes qui agunt, iureiurando se obstringunt, ut solent homines, suspicionem delicti a se avertere cum cupiunt, v. 830 sqq.: *ἢν δὲ χρόνῳ παράκαιρον ἔργον ἢ λόγον πύθῃ, κατά με γᾶς ζῶντα πόρευσον· οὐ παραιτοῦμαι*, et v. 869 auriga Rhesi magno dolore propter trucidatum dominum adfectus et perfidiam Troianorum male metuens dicit: *ὦ γαῖα πατρίς, πῶς ἂν ἐνθάνοιμί σοι*, cui non sine inrisione quadam Hector, qui satis cognovit vitam morte multo praestabiliorem esse et patriae civibusque utiliorem, respondet: *μὴ θνῆσκ'· ἅλις γὰρ τῶν τεθνηκότων ὄχλος*. — Magno mortis desiderio Creusam teneri videmus in Ionis v. 763. 769 sqq., quoniam a fato, ut liberis careret, sibi constitutum sit et Ione restituto inminentem (ibid. v. 1300 sqq.) sibi domi neglegentiam timeat. Neque vero a crudeli Apolline deserta regina filioque orbata tantopere huic desiderio indulget, ut a pravo servo non ad eum animi furorem adducatur, ut quem putat Xuthi filium esse femineo dolo venenoque studeat perdere. Immo tam amans est vitae, ut ne tum quidem, cum deo adiutore (ibid. v. 1190 sq.) servatus Ion crudelem veneficam persequitur, mortem, quam antea advocaverat, constanti animo obeat, id quod chori ancillae antea gloriabantur (ibid. v. 1063: *εἰ δ' ἀτελὴς θάνατος ... ἢ θηκτὸν ξίφος ἢ λαιμῶν ἐξάψει βρόχον ἀμφὶ δειρήν, πάθεσι πάθεα δ' ἐξανύτουσ' εἰς ἄλλας βιότου μορφὰς κάτεισιν*), et aequa morte foedum scelus expiet, sed ad sacram confugiat aram neque prius eam relinquat, quam mors non amplius timenda est (ibid. v. 1401), quo facto nimis propitia clemensque Euripidea Minerva scelestam matrem cum filio et numinis divini

laesa maiestate reconciliat. — In Herculis Furentis fabula Iovis fortis filius ubi sanus factus ex diro et a deo inflato morbo uxorem atque liberos a se furente intellexit occisos, tam acri conripitur mortis desiderio, ut vix a Theseo possit retineri, quominus saeva manu vim sibi inferat (cfr. v. 1146 sqq. 1241. 1247). Ac profecto quidem in tanta mala Iunonis ira miserum Amphitruoniadam ruit, ut etiam deus, si tam gravia pateretur, multo cum gemitu quereretur (ibid. v. 1115), neque inprobandum videtur quod Hercules dicit v. 1301 sq.: *τί δῆτά με ζῆν δεῖ; τί κέρδος ἕξομεν βίον γ' ἀχρεῖον ἀνόσιον κεκτημένοι;* Sed quoniam inscius et invitus ad foedum facinus conreptus, non sua voluntate stirpem delevit, ne Herculis quidem miseria tanta est, quae ferri non possit. Itaque Thesei suasoris blandis precibus victus (ibid. v. 1227 sq.: *ὅστις εὐγενὴς βροτῶν, φέρει τὰ θεῶν γε πτώματ' οὐδ' ἀναίνεται)* non amplius constanti desiderio mortem quaerit Hercules, sed cum Theseo Athenas proficiscitur, ut ibi pergat vita frui et tot tantisque malis, quot in invisum Alcumenae filium inmiserit irata dea, fortem opponere animum effugiatque ignaviam, quae vita nimis leviter profusa cernatur (ibid. v. 1347 sqq.), sic praeclarum proponens exemplum posteris, quanti vita viris strenuis et fortibus sit habenda. — In Supplicum denique fabula cum multo planctu multisque querellis lamentationibusque magnum coniunctum moriendi desiderium si cernimus, iam res quae agitur inpediet quominus miremur. Magnum est enim malum filiis bello orbari; maius erat ex veterum sententia, si filiis pugna occisis ne sepulcrum quidem contingeret. Si igitur matres eorum, qui ante Thebarum portas perierunt et insepulti adhuc iacent, vehementi se dant luctui et morte, quae oblivionem malorum adferat, tot miseriis liberari cupiunt (cfr. v. 86), illud mortis desiderium, quamvis matribus non prorsus iniquum, ex nimia tamen animi tristitia magis quam ex constanti animi adfectu ortum esse facile intellegemus, praesertim cum ipsae chori matres v. 731 sqq. confiteantur se parum forti animo indulsisse. Neque aliter Adrasti querellas interpretari licebit, qui solus ex septem ducibus relictus, cum mortuorum corpora sepelienda conspexisset, v. 769. 821. 828 sqq. tanta animi maestitia adfectus est, ut vehementer cuperet morte consumi et matrum luctum, quem coercere moderarique virum potius decet, augeret. Idem tamen non ignorat, quanti vita habenda sit quantumque differat ab aliis bonis v. 775 sqq. *τοῦτο μόνον βροτοῖς οὐκ ἔστι τἀνάλωμ' ἀναλωθὲν λαβεῖν, ψυχὴν βροτείαν· χρημάτων δ' εἰσὶν πόροι.* Minime enim caruit spe Adrastus, minime matres, ita ut haec verba v. 795 sq.: *μελέα πῶς ἂν ὀλοίμην σὺν τοῖσδε τέκνοις κοινὸν ἐς Ἅιδην καταβᾶσα;* acri et praesenti animi commotioni magis quam sincero mortis desiderio tribuenda videantur. Nam vivunt occisorum ducum filii, matrum nepotes, vivit Aegialeus (ibid. v. 1216), et spes est fore ut, quod patres iratis diis conficere non poterant, Epigoni qui dicuntur propitiis diis conficiant patrumque caedem ulciscantur, quam ob caussam luctus atque mortis desiderium Minervae blandis verbis facile superatur.

Exposito quid de eorum moriendi cupiditate poetae tragici sentirent, qui acriter commoti temere potius quam considerate mortem sibi exoptarent, ad alteram huius de morte obeunda quaestionis partem accedimus, quae de eorum constanti et sincero animi adfectu est, qui mortem oppetant, quoniam graviora mala patiuntur quam homines ferre possint. Atque quaerentibus nobis, ad quamnam regulam constans illud et aequum mortis

desiderium dirigendum sit, quid quantaque mala passi homines et divino et humano iure mortem sibi exoptent, ne dicam ipsi consciscant, quis sit modus statuendus, qui fines perferendorum malorum, haec subtilis quaestio haud facile quidem tam adcurate abundeque pertractari posse videtur, ut tota absolvatur. Satis erit si hanc legem statuimus a veteribus observatam esse, aequa morte interire eum, qui aut sceleribus, sive inscius sive conscius ea commisisset, in tantam incidisset culpam, quantam nisi vita profusa expiare nequiret, aut qui prorsus exspes malorum sive a diis iratis sive ab hominibus inmissorum nullam sciret sibi esse medicinam, aut denique qui hanc medicinam vel salutem suam non posset nisi tanti emere, quanti vitae honestas morumque integritas eum emere vetarent, quam postremam huius legis partem cavendum est ne cum totius quaestionis parte tertia, de qua posthac nobis erit dicendum, confundamus. Quam quidem regulam ab Aeschylo et Sophocle diligentius observatam videbimus quam ab Euripide, qui interdum personas novis et, ut videtur, haud satis aequis atque a Graecorum antiquo ingenio alienis consiliis ad mortem obeundam commotas finxit.

Atque primum quidem Aeschyli Prometheus in eorum numero habendus esse videtur, qui malorum ingenti mole obruti et omni spe salutis carentes iure inferos adire posse sibi exoptent. Dirum est enim omnino mala pati, sed multo magis dirum, si quis propter beneficia aliis adlata a crudeli adversario tantis adficitur tamque foedis poenis, quae omnem patientiae modum excedant et quarum finem sperare non liceat. Si igitur Prometheus, qui olim deorum consuetudine fruebatur, tunc autem *αἰθέριον κίνυγμα* (i. e. *εἴδωλον ἀέριον*) factus *ἐχθροῖς ἐπίχαρτα* patitur, a Iove ob furtum Lemnium (cfr. Cic. Tusc. II, 10, 23) adflictatus v. 152 sqq. haec exclamat: *εἰ γάρ μ' ὑπὸ γῆν νέρθεν θ' Ἅιδου τοῦ νεκροδέγμονος εἰς ἀπέραντον Τάρταρον ἧκεν* (scil. Iuppiter novis legibus iniuste regnans), iure nobis miser Iapeti filius optare videtur ut morte consumatur, quoniam malorum nullum scit sibi fore terminum (ibid. v. 754 sqq.), priusquam Iuppiter regno pulsus sit, nullam medicinam, nisi faciat aliquid, quod, ne quis vel tanta iniuria laesus faciat, libera vetet contumacia et sensus honestus (ibid. v. 947 sqq.). Quod mortis ardens atque constans desiderium eo augetur, quod Prometheus asperis Caucasi saxis religatus, quem tertio quoque die funesto Iovis satelles fero dilaniat pastu, quamvis mortis amore miseriarum terminum anquirat, Iovis tamen numine a leto aspellitur neque ullam habet spem fore, ut illud *μέγιστον φάρμακον κακῶν*, quod in morte sit positum, contingat. Sed quoniam difficilius videtur perspicere, quid in hac obscura fabula, quae de Titania sobole eiusque miseria et feroci patientia agit, sibi voluerit Aeschylus, et ad Promethei naturam penitus exigendam oportet ad alteram fabulam nobis deperditam, cui *Προμηθεὺς λυόμενος* nomen erat inditum, recurri, id quod longum est et a proposito abducit, de ipso Prometheo satis dictum sit. In eadem autem fabula infelix Io, a Iove crudeli amatore deserta, iure sibi exoptare videtur, ut vel igni comburatur vel abscondatur terra vel voracibus maris fluctibus devoretur, modo malorum consequatur terminum (cfr. v. 582 sqq.). Quid enim iuvat miseram Inachi filiam vita uti, quae sperare non possit Iunonis saevae irae ullum fore finem vel gravissima mala umquam iri subiatum? quam semper comitetur custos Argus, semper diris cruciatibus oestrus persequatur? Tot tantisque malis obruta quod mortem quaerat

tristis puella ut ultimam desperantium medicinam, non possumus inprobare, sed adsentimur Aeschylo, qui Ioni tormentis exagitatae haec tribuit verba v. 750 sq.: κρεῖσσον εἰσάπαξ θανεῖν ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς. — Similiter in Sept. adv. Theb. omnis spei expers Eteocles nullum videt miseriarum terminum, nullam malorum inminentium medicinam nisi eam, quam ipse sibi paret moriendo. Suis enim sceleribus, sua inprudentia, sua violenta erga fratrem perfidia, sua denique inpietate et scelerata insolentia ab hostili exercitu urbs patria obsessa est. Vetant dirae patris preces eum salutem se visurum sperare (cfr. v. 695 sqq.), inpendet πάλαι γένους φθορά, ipsi dii non amplius curant perditum Oedipi filium (ibid. v. 702); quid igitur dubitet Eteocles mortem oppetere, ut profuso sanguine inpietatem expiet, expleat patris preces, antiquae stirpis labi satisfaciat, morte denique id fortasse adsequatur, ut viri fortis famam sibi paret (cfr. v. 683. 703)?

Qualis apud Aeschylum Eteocles, talis Sophocleus fingitur Polynices. Nam idem est scelus, eadem ἡ πάλαι γένους φθορά, eaedem laesi patris preces, eundem utrique fratri cantum ediderunt dei oracula; decet igitur Polynicem, culpam ut expiet, eodem quo frater constanti sinceroque moriendi desiderio in pugnam ruere, ut mutua caede fraterna concidens eandem viri fortis famam adsequatur (cfr. Oed. Colon. v. 1265. 1299. 1307. 1331. 1354 sqq. 1404); neque potest hanc ob caussam Polynices Antigonae sorori morem gerere oranti, ut exercitum Argos reducens neque patriam perdat neque se ipsum (ibid. v. 1416 sqq., Aeschyl. Sept. adv. Theb. v. 677 sqq.). — Multa peccavit Iocasta et animi levitate et inproba procacique deorum neglegentia: inpie conata est internam reprimere vocem, qua mens integra monetur, culpae autem conscia angitur, et cum iam pravus animus praesagit, quo conubio cum Oedipo fuerit coniuncta regina, studet etiam tum quominus veritas in lucem proferatur inpedire incredibili cuidam et scelestae indulgens levitati. Sed foeda inmiserunt mala irati dii, foeda flagitia nec antea umquam audita dira Erinys, quae stirpem exagitat Labdacidarum: non potest ea perferre Oedipi mater et coniunx. Tam enim gravia sunt, tantopere omnem perferendorum malorum modum excedunt, ut regina prorsus exspes et scelerum flagitiorumque quasi pondere submersa ad μέγιστον illud φάρμακον, quamvis acre sit et acerbum, confugere constituat, quo neglegentiam vitae animique levitatem expiet (cfr. Oed. R. 1241 sqq.). — Atque comis quidem ingenii et honesti Deianiram finxit Sophocles; sed cum laesi amoris stimulis concita ad eam rapitur inprudentiam, ut carum maritum, in quo omnis domus suae spes erat posita, horribili adficiat clade, qualem nec Iunonis inplacabilis ira nec durus Eurystheus ei invexit, tum Oenei natam decet vita profusa inprudentiae poenas luere; nam ζῆν κακῶς κλύουσαν οὐκ ἀνασχετόν, ἥτις προτιμᾷ μὴ κακὴ πεφυκέναι (Trach. v. 721 sq.). Constanti igitur et sincero moriendi desiderio, quoniam deserta sit (ibid. v. 905) et in reliquum tempus liberis caritura (ibid. v. 911), latus gladio transfodit desperans Deianira, sed ne tum quidem oblita, quam suaves fuissent vitae iucunditates, de quibus sibi esset decedendum (ibid. v. 919 sqq.). — Neque sceleribus obnoxia neque inprudentiae poenas luens, sed ingenti malorum mole oppressa infelix Eurydice mortem quaesivit. Neque temere hoc fecisse videtur. Nam interfectum Megareum, patris crudelitate mortuum Haemonem, mortis auctorem maritum, orbatam desertamque domum, amissam omnem melius fore spem, haec tanta mala ne ea quidem

ferre potest, quae *κακῶν οὐκ ἄπειρος* (cfr. Antig. v. 1191) erat, quamobrem constanti animo illud sibi parat *ῥῦμα πολλῶν κακῶν*, quod ferro in pectore condito neminem umquam malis et doloribus non liberavit (ibid. 1315 sq.). — Et omnino in hac Antigonae fabula, in qua tot mortes enarrantur, nihil cernitur quod ad fictum illum et parum constantem mortis amorem referatur, sed caussae, quibus commoti miseri et gravissimo fato adflicti homines mortem quaerunt, semper eiusmodi sunt, ut mortem quaerentes vituperare non possimus. Nemo se iactat grandiloquus multis verbis et inanibus mortem praedicans; sciunt omnes magnam esse malum de vita decedere *πρὶν μοῖραν ἐξήκειν βίου* (ibid. v. 896), et vitant illud malum quamdiu potest fieri. Cum vero dira necessitas ut aut moriantur aut intolerabilia patiantur vel vitam foedo emant pretio eos cogit, tum non dubitant num liceat miseris et perditis vitae graviores labores labore extremo, quem adfert mortis tristis gravitas, tollere. Qua sententia inbuta Ismena, antea vitae tam amans (ibid. v. 58. 555), cum intellegat servari non posse sororem, quam solam habuerit relictam ex stirpe paterna, omni spe privata non amplius miseriarum et tristis solitudinis quasi pondera potest sustinere, sed una cum carissima sorore morte cupit consumi, quasi particeps criminis propter quod Antigona capite plectatur (ibid. v. 545. 548. 566). — Ac de caussis quidem, quibus ipsa Antigona ut mortem obiret commota vel potius coacta sit, postea erit disputandum, quam reprehendere non licet, quod suspensa reste vitam finiverit priusquam dira mors acerbis cruciatibus animam exhausisset puellae in *κοῖλον λιθόστρωτον Ἅιδου νυμφεῖον* (ibid. v. 1205) inclusae et omni spe carentis. — Neque temere morti se obtrusit Haemon, sed prius sobrius et prudentibus consiliis precibusque, ut carissimae sibi puellae vitae parceret, patrem adierat, quam amoris furore conreptus cruenta manu in se ipse saeviit. Ac raro quidem apud veteres sicut apud nos factum est, ut vir aliquis propter feminae amorem mortem sibi conscisceret, nam *γυναικὸς δούλευμα* (ibid. v. 756) similiter ac nobis etiam veteribus turpe visum est et viro indignum; videtur autem interdum fieri, ut tanto vel generosae vel pulchrae et amabilis feminae amore aliquis teneatur, ut totus ei addictus praeter eam nihil possit invenire ac ne cogitare quidem, quod vitam dulcem reddat et iucundam, utque carissima femina vel morte vel alia sorte sublata tanto adficiatur dolore et animi tristitia, ut vitam non amplius vitalem sibi visam ferre non possit. Quam obscuram sed magnam invictamque Veneris vim, licet multi eam non experti inrideant, agnoscamus necesse est: agnovit eam Homerus (cfr. Iliad. Γ 164. 173 sqq. 399 sqq. et maxime Odyss. δ 261: *ἄτην μετέστενον, ἣν Ἀφροδίτη δῶχ' ὅτε μ' ἤγαγ' ἐκεῖσε φίλης ἀπὸ πατρίδος αἴης κτλ.* dicit ipsa Helena*), agnoverunt non solum lyrici poetae, verum etiam tragici omnes, qui Pasiphaen, Ariadnen, Phaedram alias amoris dulci et invicto furore conreptas finxerunt, agnovit hoc loco Sophocles, saepe Euripides, quamquam vix umquam ipse ab ea superatus esse et interdum parum honestum adulterorum amorem cum generoso viri honesti amore commiscuisse videtur, ignoravit eam in his quidem fabulis, quibus nos utimur, Aeschylus. Quam vim cum agnoscere cogamur, non possumus inprobare, quod

---

*) De notione et significatione *ἄτης* cfr. Naegelsb. Hom. Theol. Erster Abschn. § 45—47; Sechster Abschn. § 2—6. 19. 20. et Preller Griech. Myth. I p. 227 sq. II. p. 74.

Haemon dilecta puella mortua amorisque deliciis sublatis prorsus exspes tantoque dolori ferendo inpar stricto gladio moriendo sibi paret eas nuptias, quas vivus propter patris crudelitatem non potuit adsequi (ibid. v. 1235 sqq.), sic ostendens posse aliquam inter homines intercedere intimam animorum coniunctionem, quae si tollatur vel dirimatur, pro tanto haberi soleat malo, quantum ferri omnino nequeat. Quo accedit quod ex Haemonis morte cernimus, magnam fuisse etiam apud veteres Graecos, in primis apud eos, qui priscos gentis mores verebantur, erga feminas reverentiam, quod haud raro non satis respicere videntur, qui de feminarum Graecarum condicione agunt. — Tot tantisque caedibus peractis restat ut, qui maximus earum fuit auctor, crudelitatis et inprudentium insolentiumque consiliorum poenas luat luendoque ostendat τὸ φρονεῖν πολλῷ πρῶτον ὑπάρχειν εὐδαιμονίας (ibid. v. 1348). Itaque Creon, postquam φρενῶν δυσφρόνων ἁμαρτήματα στερεὰ θανατόεντα cognovit (ibid. v. 1261 sq.), ut δυσκάθαρτον Ἅιδου λιμένα (ibid. v. 1284) sanguine suo secum reconciliet et πότμον δυσκόμιστον (ibid. v. 1346) effugiat, quaerit ut ferro aliquis miserum interficiat diesque supremus sincero mortis desiderio confectum ab ingenti malorum mole liberet his verbis v. 1329 sqq.: ἴτω ἴτω, φανήτω μόρων ὁ κάλλιστ' ἐμῶν ἐμοὶ τερμίαν ἄγων ἁμέραν ὕπατος· ἴτω ἴτω, ὅπως μηκέτ' ἆμαρ ἄλλ' εἰσίδω. — Vix opus est de Herculis et de Aiacis interitu verba facere, quorum alter, cuius victrices manus tot tantasque perfecerunt labores, quem nemo ulli vidit malo ingemiscentem, tunc πεπονημένος ἀλλήκτοις ὀδύναις (cfr. Trach. v. 985) virginalem ploratum edit patremque coelestem inplorat, ut coruscam fulminis vim in se iaciat (ibid. v. 1085; Cic. Tusc. II, 8, 20 sqq.). Hic tantus vir tam foeda laborans clade, quam a femina pariter insonti atque inprudenti acceperat, cum iterum atque iterum multo cum gemitu mortem sibi exoptaret (ibid. v. 1013. 1031 sqq.), oraculis edoctus (ibid. v. 1159 sqq.) novit nullam sibi esse spem, nullum malorum terminum praeter eum, qui unicuique nostrum positus est in morte; quam ob caussam tam sincero quam constanti animo iure id adsequi studet, ut filium habeat παιώνιον καὶ ἰατῆρα τῶν κακῶν (ibid. 1208) dulcisque Orcus (ibid. v. 1039) eam sibi adferat quietem, cuius vivus particeps fieri non potuerit, simul autem id obtineat, ut supremi Iovis filius moriendo inter deos recipiatur. Alter autem vir, virtute et patientia Herculis haud dissimilis, non feminae nimio inprudentique amore, sed suo feroci animo et laesi numinis ira in tanta praecipitatur mala, quanta virum honestum et fortem ferre non deceat. Qui enim solus olim Volcaniam vim a classe prohibuit (cfr. Iliad. O 730 sqq., Soph. Aiac. v. 1276 sqq., Ovid. Metam. 13, 384 sqq.), qui μέγιστον ἴσχυσε στρατοῦ (Aiac. v. 502, cfr. etiam v. 364 sq. 442 sqq.), quomodo potest is risum ferre et insolentiam eorum, quorum iniuria ad tantam iram tantumque furorem excitatus est? quomodo Ulixem et Atridas cavillantes audire et gaudio propter foedam aemuli sortem elatos (ibid. v. 367. 380 sqq. 390)? Sunt enim ingenia hominum, honesta quidem et fortia, sed dura, atrocia, nimia sui fiducia inbuta, quibus a fato constitutum esse videtur, ut aut vincerent frangerentque quidquid obstaret, aut ab eo frangerentur. Nam tertium non datur neque possunt ex sua natura eiusmodi ingenia flecti vel ad temporum condiciones temperari. Atque frangere quidem obstantia non potuit Aiax a Minerva insania exagitatus, necesse igitur erat frangeretur vel ipse se saeva manu frangeret, ne quisquam Aiacem posset superare nisi Aiax. Invictum virum vincit dolor.

Quae ingenia licet lex Christianae patientiae nobis proposita vel potius inposita inprobet et ab iis postulet, ut naturae asperitatem rigidamque morum gravitatem et obfirmati animi voluntatem frangant altiorique numinis voluntati subiciant, nos tamen, si veterum sentiendi rationem respicimus, non possumus non probare Aiacis arduum et constans desiderium, cui totus deditus mortem sibi exoptat et extremo ipse parat, etiam huic ingenio ultimam medicinam (ibid. v. 361. 391. 394 sqq. 686. 690. 815 sqq.). Moriendo enim eiusmodi ingenium et sibi ipsum et inmortalibus diis satis facit propter nimiam insolentiam fiduciamque iratis, expiatque scelera, in quae ruerat ex dura et atroci natura, simul autem uno ictu medici instar (ibid. v. 581: *οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ θρηνεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι)* ista mala tollit, quae gravius plerumque ingenium durum et fervidum quam mite urgent et placidum. Optime autem illud Aiacis ingenium, quod numquam flectitur, his verbis cernimus v. 473: *αἰσχρὸν γὰρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρῄζειν βίου, κακοῖσιν ὅστις μηδὲν ἐξαλλάσσεται . . . ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν ἢ καλῶς τεθνηκέναι τὸν εὐγενῆ χρή. πάντ' ἀκήκοας λόγον.* Sed ne durus quidem Aiax, tam gravibus exagitatus malis tamque ardenti et constanti mortis desiderio totus deditus, leviter de vita decessit; sed qui vix umquam molles animi adfectus non repressit, dum laeta vita fruebatur, is tunc morti se traditurus non solum filium blando amore et coniugem, patrem matremque animo recordatur caramque Salaminiam patriam, patrios Lares, cognatam Atheniensium urbem, verum etiam fontibus Troianis, fluminibus, campis, quibus per decem annos delectaretur, maesto animo multam dicit salutem (ibid. v. 845 sqq.) sic ostendens mortem etiam iis, qui sincero desiderio de vita decedant, acerbum esse atque dirum malum, quod felices et qui spe non prorsus carent subire fugiant.

Euripides denique, qui hominum animos bene cognovit eorumque intimos adfectus tam adcurate inspexit, inspectos tam subtiliter exposuit quam vix alius poeta tragicus, multis exemplis docuit malorum gravitate homines ita adfici posse, ut inpares fiant tanto quasi ponderi perferendo. Ac primum quidem Iocasta, quae in Phoeniss. v. 1281 professa est cum filiis aut victuram se aut morituram esse, et dira clade conspecta ipsa sibi ferro e mortuis extracto vitam eripuit (ibid. v. 1456), non potuit ferre post tot mala, quae misera Oedipi coniunx est passa, etiam ultima matris spe, quae in filiis est posita, privari. Ingenti igitur propter occisos filios dolore conrepta aequa morte Iocasta de vita decessit (ibid. v. 1578: *ἄγει τέκνων ἔπεσ' ἀμφὶ τέκνοισιν)*, iratis stirpi Labdacidarum diis satisfaciens et simul intolerabilium malorum quaerens medicinam. — In eadem fabula fortis Antigona, honestatis pietatisque sensu inbuta, iure recusat Creontis filio nubere miserumque deserere patrem, quoniam eas nuptias, quibus in familiam eius viri recipiatur, qui tanta crudelitate in patrem occisumque fratrem saevierit, et foede desertum patrem pro tanto malo vel scelere habeat, quantum gravius sit ipsa morte (ibid. v. 1673. 75. 77. 88), quam una cum patre obire cupit. — In Orestis deinde fabula et propter personarum agentium sententias et propter Apollinis nimis inperiosum auxilium magis singulari quam praeclara, Electra tot mala passa cum fratre, praeter quem nullam habet spem, libera morte mori quam ab Argivo viro occidi mavult (cfr. v. 1037). Et recte quidem. Nam quid relinquitur Agamemnonis filiae, si frater occisus est, cuius adventum tanto exspectavit

animi ardore? quem habet qui arceat odium civium, quem socium qui secum ferat diras matris preces iramque dearum poenas exigentium pro commisso scelere? Atque eadem quidem Electra in ea fabula, cui hoc ipsum inscribitur nomen, tristem sustinuit sortem, neque nuptias respuit regia Atridae filia cum ignobili et paupere agricola, dum sperat venturum esse qui patris caedem ulciscatur. Aliena a gaudio et vitae iucunditatibus, tota lacrumis dedita (cfr. v. 175 sqq.) multos annos misere ita vixit, ut putare aliquis posset, tantopere eam miseriis adsuevisse, ut nullis malis opprimeretur, oppressa mortem quaereret. Unum autem malum tam grave est, quod ne Electrae quidem fortis animus possit sustinere: si enim Orestes, ultima patriae stirpis spes, re male gesta sit periturus, tum fore profitetur ut ipsa quoque mortem malorum medicinam sibi consciscat (ibid. v. 686 sqq. 757). — Iam supra vidimus, cum de Haemone mortis cupido verba fecimus (pag. 39 sq.), intercedere inter homines intimam quandam animi coniunctionem familiaritatemque, quam sublatam vel diremptam ii non possunt sustinere, qui tali cum aliquo coniunctione coaluerunt. Cuius rei exempla, sive amico cum amico eiusmodi intercedit intima consuetudo, sive cum coniuge coniugi, cum parentibus liberis, cognatis cum cognatis, apud Euripidem, animi adfectuum studiosissimum investigatorem, permulta invenies exempla. Ac tanta quidem coniunctus fingitur amicitia cum Oreste Pylades, ut in Orest. v. 1069 amicum reprehendat quod speraverit Oreste mortuo Pyladem esse victurum, et v. 1072 quaerat: *τί δὲ ζῆν σῆς ἑταιρίας ἄτερ;* cui turpissimum videtur eum moriturum deserere, quocum vivere suavissimum fuerit, honestissimum autem cum eo eadem pati, cuius consuetudine carere gravius sit malum quam ipsam mortem obire (ibid. v. 1074. 1085 sqq.). Addidit Euripides, qui interdum animi adfectus adcumulare amat, huic blandae amici erga Orestem benevolentiae, et praeter rem, ut videtur, et praeter elegantiam, Pyladis in Electram amorem (ibid. v. 1091 sqq.), quo magis ille obstrictum sese arbitraretur, ut ei, cui antequam miser factus esset amicus fuisset, etiam tunc misero amicitiam fidemque servaret (ibid. v. 1095 sq.: *ὃς πρὶν μὲν ὑμᾶς δυστυχεῖν φίλος παρῆν, νῦν δ' οὐκέτ' εἰμὶ δυστυχοῦντί σοι φίλος;*). Ignorasse videtur hoc cum dilecto amico moriendi desiderium, ex invicta amicitiae vi ortum, Aeschylus, qui in Choephoris Pyladem fidum quidem finxit, sed nihil praeterea nos docuit de eius cum Oreste intima consuetudine, quam Euripides in Iphigeniae Tauricae fabula adcuratius etiam exposuit, simul autem venustatem dignitatemque praeclarorum illorum verborum v. 674 sq.: *αἰσχρὸν θανόντος σοῦ βλέπειν ἡμᾶς φάος· κοινῇ τ' ἔπλευσα, δεῖ με καὶ κοινῇ θανεῖν* (cfr. etiam v. 684 sqq.) absurda ne dicam sordida, quae proximis verbis continetur, sententia paene prorsus sustulit (ibid. v. 676—683). Nihilo minus tam sincera amicitia Pylades cum Oreste coniunctus fingitur, ut vix gravissimis argumentis (ibid. v. 695 sqq.) arceri possit, quominus una cum amico, cui mors constituta est, moriendo quaerat ultimam malorum et amissae amicitiae medicinam. — In eiusdem fabulae v. 1008 sqq. Orestes, honestatis sensu aeque ac fraterno amore commotus, profitetur nullo modo se esse passurum, ut soror Iphigenia pro se mortem obeat, his verbis: *κοινόφρων σοὶ καὶ ζῆν θέλοιμ' ἂν καὶ θανὼν λαχεῖν ἴσον. ἄξω δέ σ' ἤνπερ μὴ αὐτὸς ἐνταυθοῖ πέσω πρὸς οἶκον, ἢ σοῦ κατθανὼν μενῶ μέτα,* et sic testis est eos, qui vivi *κοινόφρονες* fuerint, eadem de morte sentire. — Similiter in Hippolyto Theseus, fortis intrepidusque Herculis comes, sed amoris

vi totus conreptus, cum perfidum adulterumque Phaedrae animum ignoret, multo planctu carissimae coniugis mortem conqueritur v. 836 sqq.: *τὸ κατὰ γᾶς θέλω, τὸ κατὰ γᾶς κνέφας μετοικεῖν σκότῳ θανὼν ὁ τλάμων, τῆς σῆς στερηθεὶς φιλτάτης ὁμιλίας... μέλεος, οἷον εἶδον ἄλγος δόμων, οὐ τλητὸν οὐδὲ ῥητόν· ἀλλ' ἀπωλόμην· ἔρημος οἶκος, καὶ τέκν' ὀρφανεύεται.* Quodsi viri fortissimi propter disruptam *φιλτάτην ὁμιλίαν*, qua cum Phaedris erant coniuncti, tantis lamentationibus ingemiscunt mortisque desiderio indulgent, non possumus mirari, si Admeti et Menelai profitentur se ferre non posse, si Alcestides et Helenae, feminarum optimae et pulcherrimae, sibi eripiantur. Itaque in Alcest. v. 277. Admetus caram adloquitur uxorem pro se morituram: *σοῦ γὰρ φθιμένης οὐκέτ' ἂν εἴην· ἐν σοὶ δ' ἐσμὲν καὶ ζῆν καὶ μή· σὴν γὰρ φιλίαν σεβόμεσθα*, et sic ostendit tam arto cum optima femina amoris fideique vinculo se esse coniunctum, ut mors minus grave malum sibi videatur quam vita, cuius dulcedo una cum dulcissima uxore sit sublata, quamvis dubitet aliquis, num verum sincerumque sit Admeti mortis desiderium, quippe qui passus sit generosissimam feminam pro se viro mori, cum eum deceret sua ipsius morte potius hoc avertere, quique a patre poposcerit, ut quoniam senex esset et vita per multos annos fructus, pro filio vitam obferret, ut ipse vitae amantissimus pergeret vivere. Sed quoniam simul cum vitae amore mortis desiderium poeta Admeto tribuit, non habemus quod huic poetae consilio opponamus; quam ob caussam illas moriendi professiones, quas modo commemoravimus et eas quoque, quas acri dolore conreptus v. 864. 866 sq. 897 sqq. edit Admetus, pro veris et sinceris accipere liceat. — Magno moriendi desiderio deditae personae in ea fabula finguntur, quam ad restituendum Helenae honorem integritatemque Euripides docuisse videtur, de qua fabula pauca tantum hoc tempore proferantur. Ac primum quidem ipsa Helena postquam a Teucro comperit, quantis malis patria domus et tota Graecia propter deorum vi, non sua voluntate abstractam et innocentem Tyndaridem adflicta esset, intellexitque aliis feminis ex corporis pulchra specie vitam beatam provenire, sibi ipsi pulcherrimae miseriam et perniciem (cfr. Hel. v. 304 sq.), omni spe destituta ad eam sententiam deducitur, ut *θανεῖν κράτιστον* esse statuat et secum deliberet, quomodo optime mortem oppetat (ibid. v. 298 sqq.). Quae omnia, ut alio loco videbitur, profecto magis philosophando et nimis molli atque placida deliberatione quam ex ingentium dolorum acrimonia adfectuumque ardore orta esse videntur; nihil tamen inpedit, quominus hoc loco verum sincerumque Helenae, qualem Euripides finxit, animum in hac tristi deliberatione agnoscamus, praesertim cum moriendi desiderium non semel, sed inmota constantia profiteatur (ibid. v. 353 sqq.). Tam fido enim animo cum Menelao coniunctam poeta suam finxit Helenam — quae tota aliena est a prisca Homeri Helena —, ut quae alias voluntario amoris inpetu, si quidem *ἄτην* ita interpretari licet, Paridem Troiam sequebatur, ne coacta quidem Theoclymeno nubere vellet nuptiisque illis inminentibus mortem multo praestabiliorem censeret (ibid. v. 835 sqq.). Qua fidelitate intimaque animi et blanda coniunctione commotus Menelaus, ne minus generosum se praestet vel amore minus obstrictum, et ipse profitetur v. 840 sqq.: *κἀγὼ στερηθεὶς σοῦ τελευτήσω βίον*, declaratque obstinatum se esse ad mortem (ibid. inde a v. 982), quoniam non possit ferre carissimae uxoris consuetudine carere. Et eandem quidem sententiam, propter mutuum amorem decere coniugem cum

coniuge morienti mori, quam prisci Graeci eorumque similes etiam illa aetate aut ignorabant aut inprobabant, v. 1401 repetit Helena; sed dolus feminarum deorumque propitiorum opportunum auxilium avertunt quominus Helena et Menelaus re vera cogantur ostendere, num etiam perficere possint, quae perfecturos se esse professi sunt. Quo factum est ut servaretur quidem Helena cum dilecto marito; num fama Helenae, apud posteriores Graecos levitatis macula magis adspersa quam apud veteres, hoc Euripidis nisu servata sit vel potius restituta, nos adfirmare non audemus. Ipsa quidem Tyndaris sperasse videtur fore ut, si inrevocabili constantia ad mortem recurreret, moriendo magnam sibi pararet gloriam (ibid. v. 841: *πῶς οὖν θανούμεθ' ὥστε καὶ δόξαν λαβεῖν;)*, quae honestatis famam apud Graecos restitueret, quam spem cur postea renuntiaverit nos ignoramus, nisi fortasse vitae iucunditates iure praestantiores existimarit quam mortem gloriosam. — Longe autem praeclarissimum, qua intima coniunctione cum marito uxoris animus posset coaluisse, exemplum nobis propositum est in Supplicum fabula, quod quanto rarius inter homines Graecos occurrebat, tanto maioribus laudibus a poetis extollebatur. Exhibetur enim Evadna ingenti amoris furore conrepta (cfr. v. 1001: *ἐκβακχευσαμένα)* domo progrediens et ad mortuum ruens maritum, ut eiusdem ignis flammae, eiusdem sepulcri quo Capaneus particeps fiat, *ἐς Ἅιδαν καταλύσουσ' ἔμμοχθον βίοτον αἰῶνός τε πόνους· ἥδιστος γάρ τοι θάνατος συνθνήσκειν θνήσκουσι φίλοις, εἰ δαίμων τάδε κραίνοι* (ibid. v. 1004). Parentes igitur, liberos, omnia cara postponit illi quo ad mortem fertur inpetui, egregiis et vere *τραγικωτάτοις* his verbis, quae omnia adferenda videntur, animi clarissimum et sanctissimum adfectum inlustrans v. 1014 sqq.: *τῆς εὐκλείας χάριν ἔνθεν ὁρμάσω τᾶσδ' ἀπὸ πέτρας πηδήσασα πυρὸς ἔσω. σῶμά τ' αἴθοπι φλογμῷ πόσει συμμίξασα φίλον, χρῶτα χρωτὶ πέλας θεμένα Περσεφονείας [ἥξω] θαλάμους, σὲ τὸν θανόντ' οὔποτ' ἐμᾷ προδοῦσα ψυχᾷ κατὰ γᾶς. ἴτω φῶς γάμοι τε. εἴθε τινὲς εὐναὶ δικαίων ὑμεναίων ἐν Ἄργει φανῶσιν τέκνοις, ὅσιος δ' εὐναῖος γαμέτας συντηχθεὶς αὔραις ἀδόλοις γενναίας ψυχὰς ἀλόχῳ.* Atque sic quidem pulchra victoria *(καλλίνικος* v. 1059) omnes quas Sol luce sua conspexerit feminas vincens (ibid. v. 1061) et sibi ipsi grata et marito una secum flamma comburendo (ibid. v. 1071) in mortiferum insilit rogum. Quodsi cui praeclara illa Evadnae ruina haud dissimilis esse videbitur diro illi Indarum viduarum mori, quae in ardentem rogum se inmittere solent, ut cum marito coniunctionem adipiscantur, et male respondere iis, quae supra (pag. 8 sq. 18 sq. 25 et saepe) de Graecorum mortis horrore, amore vitae prolata sunt, cavendum videtur, ne res diversae commisceantur. Sequuntur enim maritos in mortem viduae illae religione populi et antiquo more obstrictae; flammis tristis et effeminatus Sardanapalus neglecta vita, quam tolerare vetat miserum et virum et regem innata genti suae ferox et ignava mollities, cum uxoribus et divitiis sese consumpsit, ne hostes iis potirentur; invicto odio et perdita vitae despicientia, qualem in Semitarum gentibus inesse iam diximus, Poeni et Iudaei cruento interitu perire quam fato et hostibus cedere maluerunt: solo autem amoris ardore ardua Evadna de rupe se in rogum Capanei deiecit. Praeterea nolimus inmemores esse, quod hominibus singulis et feminis quidem liceat, non licere universis hominibus, non regibus, non populis, neque obliviscamur huius interitus rarissima apud Graecos fuisse exempla et ab eorum sentiendi ratione satis aliena, quod ex Hecubae,

Andromachae, Cassandrae, Tecumessae aliarum feminarum Graecarum exemplis facile concludes. — Ad quam intimam animi coniunctionem etiam illud moriendi desiderium referre licebit, quo post Evadnam igne consumptam miser tenetur Iphis (cfr. Suppl. v. 1104 sqq.), qui senilis corporis vires fame vult exsorberi, quamvis eius de vita senum sententias, inde a v. 1108—1113 prolatas, neque Homerico Nestori neque Phereti Euripideo neque nobis probatas, vix aliquis defendere audeat; huc quoque spectat Hecubae post ereptam Polyxenam mortis desiderium, quod supra commemoravimus (pag. 32. 34. cfr. Hecub. v. 505 sqq. 511 sqq.); huc denique Amphitruonis in Hercul. Fur. v. 1073 verba, qui Megara eiusque liberis a furenti marito occisis profitetur: τὸ φάος ἐκλιπεῖν ἐπὶ κακοῖσιν οὐ φεύγω τάλας. — Quae restant apud Euripidem sinceri et constantis moriendi desiderii exempla, paucis absolvere licebit. In Hecubae parte extrema crudelis et avarus Polymestor, qui ultimam Priamidarum spem saeva manu conciderat, ubi ab Hecuba inmani poena est adfectus, mortem sibi inplorat (cfr. v. 1100 sqq.), et chorus captivarum feminarum, cui et ipsi eruti oculi trucidatique liberi maius esse malum quam quis possit ferre videntur, his precibus adsentitur v. 1107: συγγνώσθ', ὅταν τις κρείσσον' ἢ φέρειν κακὰ πάθῃ, ταλαίνης ἐξαπαλλάξαι ζόης. Nulla enim spes reliqua est obcaecato et liberis privato regi; nihil iuvant probrosae in feminas declamationes (ibid. v. 1178 sqq., ex quibus inmerito nonnulli Euripidem μισογυνίας crimine insimulaverunt, nam statim ipse poeta haec opprobria choro defensore tollit v. 1183 sqq.), nihil orationis vanitates et mendacia, quibus Agamemnonis gratiam sibi conciliare studet: restat igitur ut potius eam sibi ipse conciliet gratiam, quae cuique quaerenti contigit moriendo, et simul ea expiet scelera, quibus deos pariter atque homines laesit. — In Iphigeniae Tauricae v. 974 sq. Orestes, terribilibus Dirarum tormentis exagitatus et furore conreptus tristem et seminecem vitam degens, iureiurando se dicit obstrictum, ut nisi Apollo, a quo ad matris cruentam caedem esset instigatus, a Furiis se defenderet, moriendo vitam profunderet; et infamia Helenae, qua tantum exortum erat bellum, dilectam Iovi Ledam, cum inpar esset tam gravi sustinendo dolori, sincera moriendi cupiditate adfecit adfectam eo adduxit, ut suspensa reste mortem sibi conscisceret (cfr. Hel. v. 134 sqq. 200 sqq. 686 sqq.), quam pro minus gravi malo habuit quam filiae ignominiam (αἰσχρὸν κλέος vel αἰσχύνην). Neque Hermiona, quae tam foedam Andromachae eiusque ex Neoptolemo nato filio caedem minitata est, inpendentia mala potuit ferre, quam ubi Peleus rex prohibuit, ne iactatas minas diro facinore exsequeretur, tantus conripuit adventuri mariti metus, tam ingens scelerum pudor, ut magno moriendi desiderio teneretur et a servis vix posset arceri, quominus saeva manu vitam sibi eriperet, eripiendo et ab aestuanti animi angore se liberaret et poenas solveret quas scelestam solvere decebat (cfr. Androm. v. 805 sqq. 841 sqq. 846 sqq.). Atque invenit quidem poeta aliam rationem, qua Hermiona a morte et a iustis poenis eripiebatur: adveniens enim dolosus et sanguinarius Orestes Neoptolemi uxori inmeritam paravit salutem, qua usus Hermiona et mortem effugiebat et poenas (ibid. v. 920 sqq.); sed haud scio an propter hunc fabulae exitum poetae ingenium vituperandum potius quam conlaudandum videatur. — In Herculis Furentis fabula Amphitruo senex, quamvis dira inpendeant pericula ex Lyci crudelibus minis, non facile quidem timore ad desperationem commovetur, sed his verbis forti et elato animo esse se ostendit v. 105 sq.:

οὗτος ἀνὴρ ἄριστος ὅστις ἐλπίσι πέποιθεν ἀεί· τὸ δ' ἀπορεῖν ἀνδρὸς κακοῦ. Mox autem omnis adventuri filii spes evanuit, et ipsa Megara, quamvis caros ex Hercule natos amet et mortem pro gravi malo habeat (ibid. 281: *τὸ κατθανεῖν δεινὸν νομίζω*), eum qui *τῷ ἀναγκαίῳ τρόπῳ* resistere conetur, stultum adpellat profiteturque ad mortem obeundam se esse paratam his verbis v. 284 sqq.: *ἡμᾶς δ' ἐπειδὴ δεῖ θανεῖν, θνήσκειν χρεὼν μὴ πυρὶ καταξανθέντας, ἐχθροῖσιν γέλων διδόντας, οὑμοὶ τοῦ θανεῖν μεῖζον κακόν.* Multo enim gravius malum quam mortem hoc putat generosa Herculis coniunx, si quis ut vita frui pergat, parvo demissoque animo ad crudelium hostium misericordiam confugiat, libera morte ignominiosae vitae labores praecidere non audeat, neque decere Herculis filios *πενίᾳ σὺν οἰκτρᾷ περιβαλεῖν σωτηρίαν, δόξαν κακὴν λαβόντας* (ibid. v. 291 sq. 304). Qua animi generositate commotus atque a Megara ad mortem invitatus (ibid. v. 307), et quoniam nulla iam videtur esse spes fore ut Herculi filii serventur (ibid. v. 326: *οὐ γὰρ ἀλκὴν ἔχομεν ὥστε μὴ θανεῖν*), etiam Amphitruo sincero paratoque animo mortem exspectat (ibid. v. 316 sqq.) ut ultimam malorum medicinam. Tum vero cum iam victimarum instar parati ad mortem tendunt, dulcis vitae memoria experrecta ac tristis parvulorum moriturorum adspectus Megaram et Amphitruonem tam ingenti adficiunt vivendi cupiditate, ut Iovem inplorent, absentis Herculis patrem, ut praesentem mittat filium patri, uxori, liberis auxilium adferentem (ibid. v. 491 sqq. 498 sqq.). Et advenit quidem Hercules salutemque parat desperantibus, qui in extremo vitae periculo non sunt obliti, quam dulce esset clara solis luce deliciisque vitae frui. — In Hippolyti denique fabula totiens acerrima moriendi desideria exhibenti primum quidem Phaedram cernimus inparem adulteri amoris aestui perferendo. Tanta enim, ut iam vidimus (pag. 39) interdum vis Veneris, tam gravia inde orta *κακὰ θνητῶν στυγεραί τε νόσοι* (cfr. v. 176 sqq.) esse videntur, ut infirma femina ea sustinere non possit et amoris dolore percussa mortem sibi exoptet (ibid. v. 139 sqq. 276 sq.). Postquam igitur frustra Phaedra conata est acrem indomitumque animi adfectum ratione coercere (ibid. v. 391 sqq.), fame id adsequi quaerit, ut et fidem quam debeat marito servet et doloris intolerabili aestu se liberet, ut dolor, quem mors unicuique adfert, pro medicina sit, dolorem quae necat. Et recte quidem adhuc Phaedra: nam decet feminas moriendo honestatem servare quam turpi et prava uti malle vitae condicione. Cum vero nutrix, cuius foedas de hominum vita sententias iam supra (p. 35) commemoravimus (cfr. v. 176 sqq. 354 sqq. 433 sqq.), pravis blanditiis quasi veneno dominae animum ita corrupit, ut prohibitae libidinis spei indulgeret, tum Phaedra dolorem auxit scelere, sceleris culpam timore ignominiae. Nam cum Hippolytus turpem matris amorem comperisset compertam puro animo repudiasset, hac repudiatione multo magis adflictam adulteram et simul verentem, ne perfidae uxoris infamia ad maritum perveniret, maius etiam mortis desiderium corripuit (ibid. v. 599 sq.: *οὐκ οἶδα πλὴν ἕν, κατθανεῖν ὅσον τάχος τῶν νῦν παρόντων πημάτων ἄκος μόνον*). Itaque misera perit Phaedra sua ipsius manu perditi amoris libidinisque effrenatae poenas luens (ibid. v. 725 sqq. 777 sqq.), quam quod ne generosa quidem morte pereuntem finxerit poeta, sed in ipso moriendo ignavam, dolosam, mendacem, dilectissimo Hippolyto, quem tam ingenti amore amplexa erat, mortiferas insidias struentem (ibid. v. 728: *πικροῦ δ' ἔρωτος ἡσσηθήσομαι. ἀτὰρ κακόν γε χἀτέρῳ*

γενήσομαι θανοῦσ᾽, ἵν᾽ εἰδῇ, μὴ ᾽πὶ τοῖς ἐμοῖς κακοῖς ὑψηλὸς εἶναι κτλ. cfr. v. 879 sqq.) et ita ne scintillam quidem ullam divinae flammae, quae in sceleratissimo quoque amore inesse videtur, relinquentem nescio an dolendum nobis videatur. — De Theseo summa propter ereptam sibi uxorem maestitia commoto et moriendi cupido iam dictum est (pag. 42 cfr. Hippolyt. v. 817 sqq.). Eundem novis postea et gravioribus doloribus adflictatum videmus et mortem denuo sibi exoptantem (ibid. v. 1325. 1408), cum Diana dementem eius inconsiderantiam, qua innocentem filium perdidisset, reprehendisset, et in eiusdem fabulae exitu ipse ille filius, quem insontem patris dirae preces in perniciem praecipitarunt, tam acribus corporis cruciatibus adficitur, ut iis prorsus inpar perferendis constanti et sincero desiderio ut ultimam omnium et corporis et animi malorum medicinam sibi mortem inploret ibid. v. 1350 sqq.: *καί μοι Θάνατος Παιὰν ἔλθοι . . . εἴθε με κοιμίσειε τὸν δυσδαίμον᾽ Ἅιδου μέλαινα νύκτερός τ᾽ ἀνάγκα.*

Qua in fabula si tot lamentationes, tam tristes et languidas de hominum vita invenimus sententias nec quidquam, quo vitae dulcedines iucunditatesque, quas ipsi sceleribus, peccatis, inprudentia conrumpere et pervertere solemus, probentur, laudentur, efferantur, haud inmemores erimus, hanc fabulam ab Euripide philosopho poeta Olympiad. LXXXVII, 4 (cfr. fabulae argument. et Nauck. praefat. pag. XXV) in scaenam esse productam, cum belli Peloponnesiaci saevi horrores Graecorum omnium, animos Atheniensium praeterea proximi anni pestis maestos reddiderunt et a pristina vitae laetitia satis alienos.

Postquam vidimus, quomodo poetae tragici et eos finxissent, qui subito animi inpetu commoti audacius quam verius mortis cupiditatem profiterentur, et eos qui graviora quam homines ferre possent mala passi constanti et sincero moriendi desiderio tenerentur, restat ut tertiam huius de morte obeunda quaestionis partem adgrediamur, quae de eorum generoso et praeclaro neque non constanti animi adfectu est, qui vitam spernant vel profundant, cuius pretio maius aliquod bonum adsequantur, quod viventes aut sibi ipsis aut aliis adsequi nequeant. Quam quidem quaestionem, quoniam ea exempla, quae rem propositam inlustrant, satis plana sunt et perspicua, paucioribus quam ceteras verbis absolvere licebit, praesertim cum haud raro fiat, ut ea exempla, quae sub hanc quaestionis partem cadunt, non multum diversa sint ab iis, quae alteram quaestionis partem inlustrarunt, et omnino haec pars propinqua sit et finitima praecedenti parti. Nam si dicimus aliquem hanc ob caussam mortis desiderio conripi, ut moriendo praestabilius bonum quam vita sit obtineat, haud male dici poterit eundem propter hoc ipsum mori velle, quod illud praestabilius bonum se non obtinuisse vel obtinere nullo modo posse; id quod altera quaestionis parte continetur, pro graviore habeat malo quam ferri possit. Sed propter maiorem perspicuitatem has vicinas res, quarum altera exhibet quod moriendo fugiamus, altera quod consequi studeamus, seiungere seiunctas exponere visum est.

Atque quaerentibus nobis, quae sint illa bona generosis liberalibusque hominibus maiora quam vita visa, poetae tragici haec fere ostendunt: aut enim fama honestatis posteris tradenda, aut poenae ab aliquo petitae, aut denique salus dominorum, amicorum, liberorum, parentum, omnino cognatorum, vel coniugis, patriae omnium carissimae felix et prospera condicio pro tantis habentur bonis, ut suae ipsorum vitae vel saluti bonis

hominibus praeferenda videantur. Quibus bonis si contraria opponemus mala, posteritatis invidia, inimicorum inultae et inpunitae iniuriae, interitus vel miseria eorum, quibuscum intima animi consuetudine sunt coniuncti, vel patria deleta et dilacerata tanto bonos moriendi desiderio adficient, ut mortem vita longe praestabiliorem existiment. Quod a priore quaestionis parte haud longe discedit.

Ac primum quidem Aeschyleus Orestes, strenuus et iniuriis inlatis atrox factus, in Choeph. v. 435 sqq. denuntiat mori se velle, si contigerit sibi deorum et suae ipsius manus auxilio, ut patris inulti ultor iniuriarum exsisteret, nam *παῖδες ἀνδρὶ κληδόνες σωτήριοι θανόντι* (ibid. v. 505), et sic ostendit poenas a perfida matre repetitas bonum sibi videri longe praestabilius quam ipsam vitam harum poenarum memoria carentem. — In Sept. adv. Theb. v. 1026 sqq. ardens puellae animus Antigonam commovet, ut fratris debitam humationem et futuram inde apud posteros honestatis famam praeferendam censeat vitae egregie illo et iuste facto neglecto degendae, quoniam erga deos legesque aeternas verecundia et pietas, quam debeamus mortuis cognatis, a bonis hominibus etiam vitae dulcedini anteponantur et inique cives Thebani statuerint Polynicem non esse sepeliendum (*ἤδη τὰ τοῦδ'* — scil. Polynicis — *οὐ διατετίμηται θεοῖς*, ibid. v. 1047).

Simillima Oresti Sophoclea Electra Chrysothemidi sorori denuntiat occisi patris poenas a caedis auctoribus repetitas vitae praeferendas se censere his verbis v. 399: *πεσούμεθ', εἰ χρή, πατρὶ τιμωρούμενοι*, quoniam, nisi perfecerit hoc, praeclaram pietatis laudem a patre et fratre obtinere non possit (ibid. v. 968 sqq.); atque eadem quam modo dixi Antigona et apud Sophoclem et apud Euripidem eadem suscipit, praeclare et iuste facti gloriam vitae longe anteponens. Ex quo enim tempore Polynices carissimam sororem precibus adierat, ne corpus fratris, si in pugna cecidisset, sepultura adficere neglegeret (cfr. Oed. Colon. v. 1410 sqq. 1435), Antigona tota id egit, ut quod fas sibi videretur et cognato debitum officium perficeret: nam cari fratris post mortem honorem et quietem praestabiliores censuit quam suam ipsius vitam, cui esset *καλὸν τοῦτο ποιούσῃ θανεῖν* (cfr. Antig. v. 72). Iam antea vidimus (pag. 11) tantum abesse ut Antigona mortem sibi sicut bonum exoptaret, ut tristem sortem sibi inpositam cruentasque cum Acheronte nuptias multis querellis et lamentationibus deploraret. Solet autem fieri ut interdum homines, quoniam humana omnia erroribus sunt subiecta (ibid. v. 1023 sqq.) saepeque error ingens sceleris obtinuit locum (Senec. Herc. Fur. v. 1283), in tanta discrimina cadant et dimicationes fortunae, ut non solum quae bona videntur cum bonis conlidantur, quae mala cum malis, sed etiam quod ab utraque parte fit iusta voluntate et aequo iudicio atque consilio, ingentem dissensionem gignat et tristia discidia, quae nisi doloribus, caedibus, mortiferis stragibus et morbis sanari vel componi non possunt. In his discriminibus non solum ex malis eligere minima bonos oportet, sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid inest boni (Cicer. de offic. III, 1, 3). Elegit Antigona et excerpsit. Recte facere vult Creon patriae salutem, quamvis inconsulte, curans, recte facere, quamvis non caute, occisorum fratrum soror, quae utrumque fratrem aequa pietate colit. Opponuntur inter se leges civiles (*τὰ σὰ* — scil. Creontis — *κηρύγματα* vel *οἱ προκείμενοι νόμοι*, Antig. v. 453. 481) poenaque civilis et leges aeternae (*ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα*, ibid. v. 455)

poenaque divina ab iratis diis iratisque fratris manibus inmittenda. Num potest dubitare generosissima Oedipi filia utrum sibi sit eligendum? Mavult igitur acerbam sed honestam mortem oppetere quam dulci sed turpi, si pravo Creontis arbitrio magis quam aeternae numinis divini voluntati oboediverit, vita frui, et obeunda morte dulcius illud bonum obtinere, quod unicuique nostrum in recte factorum conscientia et in servata pietate deorumque verecundia positum est (ibid. v. 73 sqq. 89. 450 sqq. 502 sqq. 519. 521. 675 sqq. 897 sqq. 921 sqq. 1068 sqq. 1242 sqq.). — Eadem constanti et generosa mente, qua Sophoclea Antigona exhibetur, Euripides in Phoeniss. v. 1658 sq. 1681. 1745 suam exhibet Antigonam, ut mori se quam fratrem humandum neglegere malle profiteatur, et iam supra (pag. 41) vidimus, quanta pietate ingenuus et usque ad mortem fidus puellae animus misero patri deditus esset. — Ad quem animi adfectum ea quoque referenda videntur, quae in Trach. v. 797 sq. moriturus Hercules Hyllo filio mandat, decere filium, etiamsi mors inpendeat, patris iussa perficere eiusque voluntatem exsequendam pluris quam vitam habere, et similiter illud ad hanc quaestionem pertinet, quod saepe videmus, quandocunque quis, ut vitae honestatem integramque famam sibi servet, iureiurando se obstringit et morte consumi se velle profitetur, si a vero vel promisso aliquo sit discessurus. Cuiusmodi professiones, nisi iis similes sunt, quarum supra (pag. 35) mentionem fecimus, inprimis habes illas Creontis, qui in Oedip. Reg. v. 605 sq. 644 sq. perniciem in se invocat, si machinationibus in Oedipum usus sit, et sic plane ostendit honestatis famam apud Oedipum et cives Thebanos vita longe praestabilius bonum sibi videri; atque ipse Oedipus v. 249 sq. diris precibus futuris se subiecit, ut vitae integritatem eo magis efferret. Eundemque in Oedipi Colonei fabula constanti et sincero moriendi desiderio totum deditum cernimus, non quoniam ingentem malorum molem perferre non posset — pertulit enim, ut supra dictum est (pag. 26 sq.), omnia mala mira patientia et singulari vitae amore —, sed quoniam bonum illud *πέρασιν ἤδη καὶ καταστροφήν τινα* (cfr. Oed. Col. v. 87 sqq. 103. 1472) vel *χάριν χθονίαν* (ibid. v. 1752) maius esse arbitraretur quam vitam scelerum, flagitiorum, miseriarum memoria acerbam. Qua acerbitate expletus Oedipus a deo vocatus ad mortem tendit placido animo, non ut unus e multis, sed mirum in modum, ut nemo mortalium, magnam adeptus gloriam, quem post mortem patronum, heroa, deum colant homines (ibid. v. 287. 578 sqq. 635. 1524 sqq. 1764. Preller Griech. Mythol. II p. 237 sqq.).

Diro iureiurando Euripides Hippolytum finxit obstrictum, quo irato patri persuaderet, vitae integritatem morumque castitatem pluris a se aestimari quam ipsam vitam perfidiae suspicione adspersam (cfr. Hippol. v. 1025 sqq.); et Hecuba in Troad. v. 1012 sqq. Helenam vehementer vituperat, quod virtutis pudicitiaeque famam vitae anteponere neglexerit. Summis autem laudibus ab Iolao Athenienses efferuntur, quod generosi mortem potius oppetituri sint quam prava ignavia perterriti Herculis filios, qui ad eos confugerunt, crudeli Eurystheo tradituri, et quod ea sint mente, ut recte agentes vitam profundere quam parum honesta vita uti malint (Heraclid. v. 199 sqq.: *οἶδ' ἐγὼ τὸ τῶνδε* — scil. Atheniensium — *λῆμα καὶ φύσιν· θνῄσκειν θελήσουσ'· ἡ γὰρ αἰσχύνη πάρος τοῦ ζῆν παρ' ἐσθλοῖς ἀνδράσιν νομίζεται)*. quod de Theseo quoque Oedipum Sophocleum defendente dici potest (cfr. Oed. Colon. v. 1039 sq.). — Atque ulciscendi quidem cupiditate ardens

Orestes adeo irae indulget, ut etiam vitae pretio id adsequi cupiat, ut Menelaus malus male pereat (cfr. Orest. v. 1100. 1116); neque haesitat dira Medea, detestabili mariti perfidia ad furorem tota conrepta, mortem sibi inplorare ut ultimum miseriarum terminum (cfr. Med. v. 97 sq. 144 sqq. 226 sqq.), sed id agit, ut etiamsi moriendum sibi sit, cruentas tamen poenas ab Iasone repetat, eius uxorem et socerum dolo mortifero, saeva manu liberos suos ex Iasone natos trucidet (ibid. v. 392). Nam iis ingeniis, quibus vehementiores animi motus natura tribuit, quae magis et amare possunt et odisse quam ceteri homines et omnino ab aequabilitate quadam adfectuum et totius vitae abhorrent, multo praestabilius bonum esse videtur, atrocibus facinoribus poenas iniuriarum vel sibi vel suis inlatarum repetere posse quam pergere vita uti, quae nullius sibi sit pretii, quoniam poenis repetitis careat (ibid. v. 798). Pereat igitur vita, pereant eius dulcedines, modo poenas exsequamur, exsequendo eam nobis paremus dulcedinem, quae in ulciscendo posita esse videatur et omnes alias vitae humanae dulcedines deliciasque superet. Quae quidem atrocitas ex iusto quodam et per se generoso aequitatis sensu, maxime hominibus non humilibus innato, orta esse videtur, qui sensus homines acres et strenuos facile eo adducit, ut etiam vitae pretio id obtinere studeant, ut sua cuique iura obtingant et hominum facta fatis exaequentur et compensentur; peccant autem isti homines in eo, quod nimio adfectuum ardori indulgentes et homines se esse, ut ita dicam, inmemores putant sibi esse a fato illud ulciscendi vel exaequandi munus traditum et sic fati ultoris partes ipsi non vocati suscipiunt. Itaque Medea, odio et ulciscendi cupiditate non minus acris et vehemens quam antea amoris ardore, crudelis uxor, inmanis mater, cum vitam nullius pretii et profundendam, si opus esset, existimaret, satis probavit, quo arctius fuisset et dulcius amoris vinculum, eo graviores, si quis rupisset hoc vinculum, esse solere amoris dolores, quibus doloribus distorta et prorsus efferata saeva Colchis tam diris Iasonem poenis adfecit, is ut cognosceret *γυναικῶν λέχος πολύπονον* esse et gravibus malis adflictare mortales (ibid. v. 1291). Sed in hac quoque fabula non possumus probare, quod Euripides tragicam vim diminuens et quasi obtundens Medeam antea mortis cupidam tunc post tot tantaque patrata scelera turpiter vitae amore obstrictam finxit, et quam decuit horribilium facinorum poenas solvere, ab exitio Athenas evexit, quasi vita praecipue scelestis hominibus quaerenda videretur, et Atheniensium urbs non solum praesidium et tamquam arx esset miseris et inique oppressis, verum etiam portus et receptaculum nefariis hominibus et iustam poenam fugientibus (ibid. v. 709. 729. 768. 1384). — Qua dira et atroci generositate, si quidem generositas adpellari potest, qua ulciscendi cupidi in suum commodum suasque delicias utuntur, multo maiores vel certe puriores et sanctiores eorum praeclari animi adfectus elucent, qui prompto paratoque animo vitam in aliorum commodum profundere non dubitent, quo his salutem, ipsis sibi laudem, honorem, gloriam parent. Nam plerumque vel potius semper honestatis fama pariter ac recti honestique sensus etiam hos ad generose agendum inpellere videtur. Ac primum quidem eorum excelsa animi intentio commemoranda videtur, qui tam arcto fidelitatis vinculo cum dominis se coniunctos arbitrentur, ut pro eorum vita vel salute suam ipsorum vitam vel salutem dare non dubitent, modo honestatis laudem adsequantur. Si igitur in Iphig. Aulid. v. 312 fidus herili domui senex profitetur epistolam Menelao se non

traditurum esse, etiamsi mortem sit oppetiturus, longe profecto aberit, ut nos Menelai sententiam probemus, qui seni *μακροὺς λόγους* servo haud dignos vitio dat, sed laudabimus potius servum, quod gloriosam pro domini salute mortem praestabilius bonum esse existimarit quam vitam. Recte enim alius servus, Erechthei domui usque ad scelera patranda devotus, in Ion. v. 854 sqq. haec dicit, aliena quidem ab iis, quae supra (pag. 17) de antiqua Graecorum sententia de servili condicione attulimus: *ἓν γάρ τι τοῖς δούλοισιν αἰσχύνην φέρει, τοὔνομα· τὰ δ' ἄλλα πάντα τῶν ἐλευθέρων οὐδὲν κακίων δοῦλος, ὅστις ἐσθλὸς ᾖ.* Cuius servi fidelis animus adeo dominae deditus erat, ut ne flagitiis quidem committendis deterreretur, quin Creusae contra inimicos quos esse putarit auxilium ferret cumque ea aut mori se aut gratissima luce frui velle profiteretur (ibid. v. 850 sqq. 1040 sqq.), quibus in professionibus pariter atque in malis artibus sinceras et constantes socias habuit chori ancillas (ibid. v. 857 sq.: *κἀγώ, φίλη δέσποινα, συμφορὰν θέλω κοινουμένη τήνδ' ἢ θανεῖν ἢ ζῆν καλῶς*), dignas quae meliori caussae servirent. Sed cum Creusae paedagogus et ancillae, quamvis fido animo, malis emineant artibus pravisque facinoribus et paedagogi alacris fidelitas ex eo fortasse fonte emanarit, qui homines ad desperata potius et perdita quam ad generosa facta inpellere solet, ex metu et privati commodi studio, abstinemus laudo istorum hominum et ad servos regiae domus Mycenaeae iterum nos convertimus, qui generosis et fidelibus animi adfectibus magis quam dominus vel domina praestitisse videntur et hac naturae praestantia eos longe superant, quos Aeschylus finxit sceleribus Clytaemnestrae et Aegisthi nisi inanibus verbis non resistentes (cfr. pag. 24). Nam idem fortasse, quem modo commemoravi, senex, qui Agamemnonem educavit et Orestem ab inminenti periculo servavit, in Electr. v. 663 candido sinceroque animo profitetur libenter se mori velle, si dirae caedis olim in dominum patratae auctores ad Orcum missos viderit, regiae domus gloriam atque salutem et simul poenas scelerum repetitas pluris quam vitam aestimans. Cui servo haud dissimilis Andromachae serva et quodam modo conserva, fidelitatis vinculo antea cum Priami tunc cum Phthia domo coniuncta, metu non deterrebatur, quin Peleum ad filii iura contra inminentes Hermionae cruentos dolos defendenda arcesseret, sed profitebatur (Androm. v. 89) ire se velle, etiamsi mali aliquid (quo mors significari videtur) esset passura; et in Herc. Fur. v. 261 senes Thebani, antiquorum regum fido animo memores et Lyci crudelitatem inprobantes sic eum adloquuntur: *ἐμοῦ ζῶντος οὐ κτενεῖς ποτε τοὺς Ἡρακλείους παῖδας.* quo maiorem sibi parabant honestatis laudem quam ceteri Thebarum cives ingrato et ignobili animo seditionibus novisque rebus dediti et odio absentis Herculis. Quibus senibus nullo modo inferiores esse videntur fidelitate servae illae, quae Theonoae Aegyptiae partes contra iratum fratrem defendunt et pro domina, quam *εὐσεβεστάτην* adpellant (Helen. v. 1633), libenter vitam se daturas his verbis profitentur v. 1639: *κτεῖνε* (scil. nos)· *σύγγονον δὲ σὴν οὐ κτενεῖς ἡμῶν ἑκόντων, ἀλλ' ἔμ'· ὡς πρὸ δεσποτῶν τοῖσι γενναίοισι δούλοις εὐκλεέστατον θανεῖν.* Qua sententia praestantius aliquid vel exquisitius vix ab iis pronuntiari poterat, qui antiquioribus nostrae gentis temporibus clientelae feudatoriae, quam iuris consulti adpellant, necessitudine obstricti regibus vel patronis usque ad mortem fidem praestare solebant. Cuius fidei praestantissimum exemplum Euripides nobis proposuit generosum fortemque

vix satis sincero mortis desiderio obstrictam vidimus, in Andromachae fabula servilem condicionem, antea tam diram et ipsi et coniugi (cfr. Hom. X v. 462 sqq. et supra pag. 3) visam, perfert et Phthiae vitam degit non beata quidem et laeta, sed sorte sua, qualis a fato constituta est, contenta, quod in prologo ipsa copiose exponit. Nam etiam post occisum maritum, trucidatum Astyanactem, patriam deletam non omni spe caret quae Hectoris olim erat uxor; immo ne lectum quidem sprevit eius, cuius pater maritum occiderat et qui ipse cruenta manu regium Troiae Priamum confecerat. Quamvis invita cum Neoptolemo concumberet, concubuit tamen (cfr. Androm. v. 38), quae cum tota ex novo marito penderet, tota etiam in eo fuit, ut maritum et natum ex eo filium fido amore complecteretur, et cum vitae cupida mortem metueret (ibid. v. 44), ita in sorte sua adquievisse et delicias quodam modo ex miseria et luctu, ut interdum mos est generosarum feminarum, hausisse (ibid. v. 94 sq.) videtur, ut Hermiona, quamquam inmerito, eius barbaros mores, qui nimia levitate cernerentur, exprobraret (ibid. v. 169 sqq.). Unum tantum Andromachae vivendi cupiditatem superare potest: cum enim hanc diram necessitatem sibi videat propositam, aut parvulo filio moriendum esse aut ipsi sibi, tum demum vitae amantissima mater meminit iam post Troiam captam et occisum Hectorem decuisse se mortem quaerere, tum demum aram, ad quam confugerat, relinquit et inimicis suam vitam pro Molotto non ex Hectore, sed ex Neoptolemo nato obfert (ibid. v. 410), sic ostendens quam ingens amoris vis in bonis matribus sit et quam parato et laeto animo ipsam vitam profundant, profundendo maximum et pretiosissimum illud, quod unicuique matri in vita et salute liberorum positum esse videtur, bonum emant.

Pauca tantum diximus de re magna et gravi: vetat nos plura adferre et Menoecei pro patriae salute mortem oppetentis, Erechthei atque Praxitheae filias pro conservanda patria inmolantium, multorum aliorum optima et carissima bona laete profundentium, quoniam deus iubet et sensus honestus, mentionem facere et tempus et spatium concessum: sed satis dictum erit, si mihi contigerit, id quod spero mihi contigisse, evincere et ceteros poetas tragicos et Euripidem in plerisque fabulis homines tanto vitae amore et lucis videndae fruendaeque desiderio instructos finxisse, ut, nisi dira necessitas aliter facere eos coegit, omni ratione vitam conservare vitaeque iucunditatibus delectari cuperent, quo apti fierent ad salutem hominibus dandam numinisque divini voluntatem, qua in hanc terram essent demissi, exsequendam. Quod ad nos quoque pertinet, qui et ipsi iubemur περιπατεῖν, ἕως τὸ φῶς ἔχομεν, ἵνα μὴ σκοτία ἡμᾶς καταλάβῃ (Ev. Ioann. XII, 35), et similes esse ei qui de se dixit (ibid. IX, 4): ἐμὲ δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντός με, ἕως ἡμέρα ἐστίν· ἔρχεται νύξ, ὅτε οὐδεὶς δύναται ἐργάζεσθαι.

Jahresbericht

über

die Königliche Landesschule zu Meissen.

Julius 1867 bis Julius 1868.

Das verflossene Jahr ist eines der wichtigsten und bedeutungsvollsten für die Landesschule gewesen, insofern als in derselben eine Umgestaltung ihrer innern Einrichtung in das Leben getreten ist, welche von dem Lehrercollegium seit langer Zeit gewünscht und angestrebt, von dem Königlichen Ministerium bereits zu Ende des vorigen Jahres zugesichert und Ostern d. J. verwirklicht worden ist, nachdem in den am 2. und 3. März in Dresden abgehaltenen Conferenzen der Unterrichtsgang und die Lehrziele der einzelnen Classen berathen und geordnet worden waren. Das Endziel des Gymnasialunterrichts ist dasselbe geblieben, wie es in dem Regulativ für die Gelehrtenschulen vom Jahre 1847 festgestellt worden ist, aber bei dem nunmehr gleichmässigen und nicht mehr, wie bisher, durch halbjährige Versetzungen unterbrochnen und gestörten Unterrichtsgange ist eine gleichmässigere und sicherere Erreichung dieses Ziels möglich, als dies früher der Fall war. Das Nähere über die neue Einrichtung wird demnächst durch eine Verordnung des Königlichen Ministerii zur allgemeinen Kenntniss gebracht werden; hier glauben wir zur Verständigung der Eltern, welche der Landesschule Söhne übergeben wollen, nur Folgendes bemerken zu müssen. Obgleich die Eintheilung und Benennung der Classen eine andere geworden ist, so sind doch die wissenschaftlichen Anforderungen an die Knaben, welche in die unterste Classe (früher Quarta, jetzt Untertertia) aufgenommen werden wollen, dieselben geblieben, wie früher (s. die Bekanntmachung vom 7. Decbr. 1832 § 12. oder das Regulativ vom Jahre 1847 § 44); nur wer im Laufe des Schuljahres (zu Michaelis) aufgenommen werden will, muss nachweisen, dass er das Lehrpensum, welches in der Untertertia von Ostern bis Michaelis absolvirt worden ist, vollständig inne hat und mit den ältern Schülern der Classe gleichen Schritt zu halten im Stande ist. Der regelmässige Abgang zur Universität findet zwar zu Ostern Statt, es ist aber die Möglichkeit nicht

ausgeschlossen, dass auch zu Michaelis Schüler zur Universität entlassen werden, indem die Bestimmung getroffen worden ist, die für fleissige und strebsame Schüler eine Auszeichnung, für trägere, wie wir hoffen, ein Sporn zum eifrigen Fleiss sein wird, dass diejenigen Schüler, welche in der Unterprima im Lateinischen, Deutschen und Griechischen die erste, in den übrigen Unterrichtsgegenständen wenigstens die zweite Censur erhalten haben, wenn sie diese Censuren auch am Ende des ersten Semesters ihres Aufenthaltes in der Oberprima verdienen, zu Michaelis nach überstandener Maturitätsprüfung zur Universität abgehen dürfen. Dass diejenigen, welche bis jetzt zu Michaelis aufgenommen worden sind, auch ohne diese Bedingung zu erfüllen, zu Michaelis sich dem Maturitätsexamen unterziehen dürfen und durch die neue Einrichtung nicht genöthigt werden, ein halbes Jahr länger auf der Schule zu bleiben, ist selbstverständlich.

